pi vivente clerico perceperunt annuam *g* pensionem, eo mortuo, quamvis auctoritate ejusdem Archiepiscopi non quæsierunt, vitiose tamen in possessionem non sunt ingressi; cum sicut in sæcularium legibus *b* Principum cautum est, ut is possideat, cujus nomine possidetur: causam ipsam vobis, de quorum prudentia, & honestate confidimus, committimus, f. v. per A. s. præc. m. quat. ante præsentiam vestram partibus convocatis, si de ipsarum assertione constiterit, bladum & omnia bona Ecclesiæ post appellationem de mandato ipsius Archiepiscopi asportata, ante ingressum principalis causæ, auctoritate nostra, sublato ap. obst. *i* restitui faciatis; deinde Archiepiscopum attentius moneatis, ut concessionem suam ratam habeat, & præfatos Canonicos amodo desinat super præfata Ecclesia fatigare. Si vero commonitioni vestræ acquiescere noluerit, super Ecclesia causam diligentius audiatis, & sine personarum acceptione, sublato ap. diffugio, terminetis.

NOTÆ.

1 a Exoniensi.) Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 4. ad hujus autem inscriptionis expositionem repetenda sunt quæ adduxi *in c. causam, de judiciis*: casus autem ita contigit. Archiepiscopus Eboracensis concessit certam Ecclesiam Canonicis Regularibus SS. Trinitatis, ita ut post mortem possessoris, qui eam tunc tenebat, pleno jure ad Capitulum pertineret, & consentiente possessore certam pensionem interim perciperent: decessit possessor, & Canonici propria auctoritate ingressi fuerunt possessionem; & cum perturbationem Archiepiscopi timerent, ad R.P. appellarunt. Archiepiscopus eos spoliavit possessione Ecclesiæ, & omnium, quæ a prædecessore relicta erant, quia vitiose possessionem nacti erant: sed auditis partium querelis, Alex. III. Canonicos spoliatos ante omnia decrevit esse restituendos.

b *Destinatus*.) Monachus enim, seu Canonicus designari potest procurator pro juribus suæ Ecclesiæ defendendis, *cap. insuper 6. de testibus*, late probavi *in c. unico, de syndico*.

c *Concessisset*.) Quando Archiepiscopi, vel Episcopi possint Ecclesias suæ diœcesis monasteriis, vel Ecclesiis regularibus unire, dicemus *in cap. ad audientiam, de Eccles. ædific.*

d *Confirmandam*.) Alias Archiepiscopus per se non poterat Ecclesiam censualem facere, ut probavimus *in cap. prohibemus, de censibus*.

e *Appellarunt*.) Tamquam a futuro gravamine, ut exponit Cujacius *in præsenti*.

2 f *Bladum*.) Frumentum, seu simile semen, bladus enim, seu bladum, semen designat, sæpe fructum arborum, plerumque tamen frumentum, unde imbladare accipitur pro seminare. Hoveden. anno 1198. ibi: *Nova autem sata erunt in manu Regis; si vetera sata imbladata sunt de frumento, vel siligine, unaquaque acra dabit xii. denarios de illa vestitura*. Notat Vossius *de vitiis sermon. lib. 2. c. 3. & 14.*

3 g *Annuam pensionem*.) Et ita possessionem fuerunt adepti Canonici, quasi sub censu, aut pensione concessa esset Ecclesia, Barbosa *hic, nu. 2.* Certum enim est, conductorem non possidere, cum tantum usus permissus sit illi sub certa pensione, *l. si servus 61. §. locavi, ff. de furtis* quapropter dicitur eum rem alii possidere, non sibi, *l. 1. C. communia, de usucap.* nec ullum jus proprium, sed mutuatum a domino, cui possidet, & ministerium præstat, obtinet, *l. officium 9. ff. de R. V. l. communi 7. §. neque 11. ff. communi divid. l. 3. §. ult. cum sequenti, ff. de periculo & commodo, l. si quis 10. §. 1. l. qui bona fide 19. leg. interdum 21. §. ult. ff. de acquir. possess.* igitur dominus per colonum possessionem retinet, *leg. quadam 77. ff. de R. V. l. si pignus 37. ff. de pignorat. act. l. sicut 20. §. ultim. cum l. sequenti, l. cum in plures 60. §. 1. ff. locati, l. 3. §. ceterum 12. l. si id quod 25. §. 1. l. qui universas 30. §. quod per colonum, cum l. sequenti, l. nunquam 31. §. si servus, ff. de usucap.* Unde Canonici SS. Trinitatis possessionem Ecclesiæ per ejus rectorem retinere poterant; quam possessionem rector, & monasterium adepti fuerunt virtute constituti; ut notarunt Alciatus *in l. quod meo 18. ff. de acquir. possess.* Osualdus *lib. 5. Donelli, cap. 10. littera A.* Sciendum enim est, possessionem plerumque acquiri per fictionem brevis manus, veluti si Titius vendat, vel donet Sejo rem, quam possidebat; sed antequam tradat realem possessionem, constituit in ipso instrumento se possidere nomine Seji, & ante quam ejus rei conductorem, vel precario rogantem, quo solo duo efficit: primum, ut priorem causam possidendi mutet, nempe ut si possidebat pro suo, incipiat possidere alieno nomine: secundum, ut acquirat possessionem ei, cujus nomine constituti se possidere. Est modus iste valde similis fictioni brevis manus; nam in eo occultatur actio illa tradendi rem Sejo, & quod Sejus transferat in Titium; imo ejus fictionis speciem esse constitutum, existimarunt Cujacius *lib. 19. observ. cap. 18.* Osualdus *lib. 5. Donell. cap. 10. litt. B.* Gomez *in leg. 45. Tauri, num. 80.* Faber *in suo Cod. lib. 4. tit. 41. definit. 8.* Hodierno usu receptissimus modus est, adeo ut nullum fere sit instrumentum, quod clausulam constituti non contineat, de cujus effectibus in praxi videndi sunt Anton. Gomez *lib. 2. var. c. 2. num. 20.* Tellus Fernandez *in leg. 17. Tauri, a num. 25.* Valenzuela *consil. 23. n. 21.* Larrea *decis. Granat. decis. 10. n. 7. & 19.* Siguenza *de clausul. lib. 1. c. 14. n. 5.*

h *Legibus*.) *L. quod meo, ff. de acquir. possess.*

4 i *Restitui faciatis*.) Cum hæc verba omisisset Raymundus, antiquiores repetentes præsentem decisionem, tamquam alienam a titulo, & fugitivam notarunt; sed jam integra ejus restituta, facile constat, Canonicos SS. Trinitatis fuisse spoliatos propria possessione, quam per pensionis perceptionem nacti fuerant, unde tamquam possessores spoliati restitui ante omnia petebant ad possessionem, a qua per Archiepiscopum dejecti fuerant, allegantes ipsos jam possessionem nactos fuisse per actum symbolicum, de quo, & aliis egi *in cap. 2. de consuet.* unde juste petebant restitutionem ante omnia, juxta tradita superiori commentario.

CAPUT X.

Lucius *a* III. *G. Archidiacono, I. Archipresbytero Turon. & Alcapicerio Canonico.*

Ex conquestione Burg. mulieris ad nostram audientiam noveritis pervenisse, quod cum Ebbo miles eam sibi matrimonio copulasset, & maritali affectione pertractans, ex ea filiam suscepisset, eam postmodum sine Ecclesiæ judicio a se removit, & ad Decanum Aurelian. & Abbatem S. *b* Eutrocii, de accusando super consanguinitate matrimonio, remoto ap. ob. litteras impetravit. Cum autem prius quam a delegatis judicibus mulier citaretur, per diœcesanum Episcopum virum sibi restitui petivisset, & ob hoc ipsa ad nos proprium nuncium destinasset, postmodum coram præfatis judicibus constituta, modo per se, modo per procuratorem ante ipsius causæ ingressum, & post, virum sibi restitui postulabat. Judices vero *c* restitutione penitus denegata, quod minime fieri debuit, in principali procedere voluerunt. Unde ipsa a tali gravamine necessarium duxit ad nostram audientiam appellare. Quia ergo injuste gravatis Apostolicum debemus patrocinium impartiri, d. v. per A. s. præ. m. quat. si præmissa veritate subnixa noveritis, memoratæ mulieri, omni contradictione, & ap. cess. virum suum restitui faciatis, & omnibus, quæ post ap. ad nos interpositam irrationabiliter facta sunt, in irritum revocatis, causam super matrimonio audiatis, & sine canonico terminetis.

NOTÆ.

1 a Lucius III.) Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. c. 8.* & verba hujus textus, ut Lucii III. referantur ab Innocentio *in c. litteras, hoc titulo*. De Ecclesia Turonensi nonnulla notavi *in cap. 5. de tempor. ord.*

b *S. Eutrocii*.) Legendum est, *S. Evurcii*, quod monasterium est Ordinis Divi Augustini.

2 c *Restitutione penitus denegata*.) Imo de causa possessionis judices isti cognoscere non poterant; siquidem judices delegati super proprietate, de possessione cognoscere non valent, vel e contra, ut probavi *in cap. 2. de causa possess.* sed judices isti in præsenti specialiter dati erant ad judicium proprietatis, videlicet valoris matrimonii: igitur non poterant de possessione ipsius cognoscere. Sed respondendum est, in præsenti specie judices delegatos non cognoscere de possessione jure directo, & principaliter, nec virtute delegationis; sed beneficio, & natura reconventionis, *ex cap. 1. de mutuis petit.* cujus ratione judices, qui alias erant incompetentes ratione possessionis, redduntur competentes propter reconventionem, *ex leg. si idem, §. quod mutuus, ff. de jurisd. l. cum Papinianus, authent. consequenter, Cod. de sentent. & interl.* junctis per me adductis *in dicto cap. 1. de mutuis petit.* Nec obstabit si instes, in causa spolii non dari reconventionem, nec una sententia utramque causam terminari, *cap. 2. cap. ult. de ordin. cognit.* Nam respondeo, præsentem decisionem procedere eo casu, quo conventio, & reconventio super spolio, & super eadem re versantur, videlicet super matrimonio; tunc enim spoliationis quæstio per viam actionis intentata recte suspendit priorem actionem ab actore propositam: at vero textus *in dict. cap. 2.* procedit, quando conventio, & reconventio spoliationis versantur circa diversa, ut in eodem textu exponit Panorm. *num. 7.* ubi rationem differentiæ adduxit.

Quæ ad hujus textus interpretationem spectant, dabimus *in c. litteras, hoc tit.*

CAPUT

CAPUT XI.

a Cælestinus III.

Gravis ad nos querela, &c. *Et infra*: Ideo f. v. per A. s. m. firmiter quoque præcipimus, quat. partibus convocatis, si vobis constiterit de præmissis, prædictum Archiepiscopum ablata prænominati monasterii fratribus cum integritate restituere, & *b* damna plenarie resarcire, & de illatis injuriis satisfacere competenter, omni gratia, timore, & amore postpositis, dilatione, & contradictione, & ap. cessante, per definitionem Ecclesiasticam, nostra freti auctoritate cogatis, provisuri attentius, ut non tantum *c* fructus, quos novi, & violenti possessores interim perceperunt; sed quos, si eis possidere fuisset licitum, possessores veteres percepissent, eis reddi per supradictam sententiam, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, compellatis. Præterea si qui quominus secundum mandatum nostrum memoratis fratribus restituantur ablata, se duxerint opponendos, vos auctoritate nostra suffulti eos, non obstante appellatione, anathematis sententia percellatis. Si præfatus vero Archiepiscopus ad citationem commemorationis vestræ forte non venerit, vel mandato vestro parere noluerit, vos *d* Dolen. monasterii testibus receptis, secundum formam prædictam in toto negotio procedentes, secundum quod diximus, ap. cessante, exequi procuretis, omnimoda solutione providentes, ne libertates præfato monasterio vestro a prædecessoribus *e* nostris, nobisque concessas, a quoquam sustineatis minui, vel infringi.

NOTÆ.

1 a Cælestinus III.) Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. c. 5.* sed vereor, ne auctor hujus textus sit Alexand. II. motus auctoritate cujusdam chronici Dolensis monasterii, editi a Philippo Labbeo *to. 1. biblioth. noviss. fol. 316.* ubi hæc verba leguntur: " M. L. III. aut potius M. XIII. hoc anno Romano Concilio definitum est ab „ Alexandro II. quod Episcopus Nannetensis Abbati Raymundo, & monachis Dolensis cœnobii prius redintegret „ damnum omne, quod eis violenter intulit, quam judicium „ inter eos celebretur de restitutione spoliatorum: gravis ad „ nos querela. „ Qui textus absque dubio est præsens.

2 b *Damna*.) Quæ plerumque ex arbitrio ejus, qui vim passus est, æstimantur, Sacramento præstito, *c. ult. de his quæ vi*: quod & jure civili cautum est *in l. si quando, C. unde vi*.

3 c *Non tantum fructus*.) Ut dixi supra priori commentario hujus tituli. In præsenti tamen repetentes, præcipue Salmanticenses nostri DD. Bajo-Arroyo, & Garanna, late agant de fructibus a bonæ, vel malæ fidei possessoribus perceptis, nescio an extra locum. Observandi tamen sunt in ea tractatione textus *in l. heres 51. §. 1.* ubi Cujacius, *leg. post, ff de petit. hered. leg. fructus 7. §. Papinianus, ff. solut. matr. leg. heredem, ff. de his quæ ut indig. l. fiscus 38. ff. de jure fisci, l. Nesennius 41. §. 1. ff. de re judic.* junctis Merillo *lib. 1. var. ex Cujacio, cap. 46.* Larreatigui *lib. 3. select. c. 7. l. indebiti 15. ff. de condit. indebit. l. si aliena 10. §. 2.* juncto Pinello *lib. 1. selecl. c. 17. ff. de usucap. l. fundus 51.* juncto Cujacio *ad tit. Cod. si secundo nupserit mulier, ff. famil. ercisc. l. final. §. medio, ff. quæ in fraud. credit.* juncto Pichardo *in §. 1. num. 74. Instit. de offic. judic. leg. uxori 27. de usuf. legat. l. 2. vers. Sed hic sermo, ff. de relig.* juncto Fabro *in leg. 19. ff. de donat. inter. l. sumptus 488. ff. de R. V. leg. 1. C. de dolo, leg. 22. §. si prædo, ff. de pignorat.* junctis traditis a Fabro *decad. 7. error. 6. & 7. leg. ceterum 32. ff. de R. V. leg. ex argento 13. ff. de condict. furtiv.* & aliis adductis a Cujacio *7. ad Afric. in leg. quæsitum 40. de acq. rer. dom.* Donello *lib. 4. comment. 16. & lib 14. cap. 18.* & *in leg. 3. C. de condict. ex caus.* Fachineo *lib. 1. controv. c. 57. cum sequent.* Vultejo *discept. c. 20.* Vitali *lib. 1. var. c. 19. & 20.* Vinnio *lib. 1. select. c. 3. & 26.* Velasco *de privil. paup. 1. par. q. 41.* Solorzanus *lib. 2. tom 2. cap. 19.*

d *Dolen*.) De Dolensis monasterii fundatione, & privilegiis nonnulla adduxi *in c. cum inter, de renun.*

4 e *Nostris, nobisque*.) Plura privilegia huic celebri monasterio concesserunt, præcipue circa ejus exemptionem, Gregorius, cujus verba retuli *in c. cum inter, de renunc.* Cælestinus III. Innocentius IV. Leo X. ut refert Chopinus *de sacra pol. lib. 2. tit. 7. n. 13.*

CAPUT XII.

Innocentius III. *Episcopo, & Capitulo* a *Terdonen.*

Olim causam, quæ inter vos nomine Terdonen. Eccles. & dil. fil. B. Magistrum, & fratres *b* Templi Militiæ in Lombardia, super Domo Calventiæ vertebatur, dil. fil. de *c* Locedio, & de *d* Columba Abbatibus sub certa forma meminimus commisisse. Ipsi autem Abbates partibus convocatis, & lite in eorum præsentia contestata, testes receperunt ex utraque parte productos, & cum renuntiatum fuisset utrimque, depositiones eorum solemniter publicarunt, & eas per manum publicam redigentes in scriptis, causam plene instructam ad nostram præsentiam remiserunt. Nos ergo dil. fil. C. Canonico, & procuratori Ecclesiæ Terdonen. & prædicto Magistro, dil. fil. n. I. tit. S. Stephani in Cælio Monte Presbyterum, & H. S. Eustachii Diac. Card. concessimus auditores. Coram quibus fuit ex parte vestra propositum, quod cum olim *e* Humiliati quidam a bon. m. V. Episcopo Terdon. *f* licentiam postulassent hospitale & oratorium in loco Calventiæ construendi, idem Episcopus possessiones quasdam a quibusdam *g* Militibus, qui eas tenebant in feudum ab Ecclesia Terdonen. redemit, & illas Humiliatis petentibus sub ea conditione concessit, quod ad honorem Dei, & B. Virginis, nomine Terdon. Episcopi oratorium ibidem, & hospitale construerent, & tres solidos censuales Terdonen. Episcopo annis singulis exhiberent, a quo etiam *h* persona, quæ loco præficeretur eidem, *i* investituram perciperet, & pro se, & aliis fratribus ei, & successoribus suis obedientiam faceret *j* manualem, Episcopo sibi loci dominium nihilominus retinente. Cumque id fuisset diutius observatum, sæpedictus Magister ad eamdem domum aspirans, & volens eam copulare domui de Cassellis, præfatos Humiliatos adeo circumvenit, quod præter conscientiam vestram se, & sua in ejus manibus tradiderunt, ea tamen conditione apposita, si vobis, quod facerent, complaceret, sine quorum assensu nihil posse facere asserebant. Magister vero conditionem acceptavit appositam; & quod aliter eos non reciperet, affirmavit. *Et infra*: Tunc vero Magister accedens Calventiam, exinde paramenta Ecclesiæ, *k* instrumenta domus, & libros accepit, & nonaginta oves fecit abduci; ac eo postmodum reverso ad vos, cum ei fuisset quod petierat, denegatum, quia paratus esset vobis facere rationem, si forsan vos offenderat, adjecit: vos autem intentionem ejus malevolam attendentes, & ne se de domo intromitteret memorata, districtius inhibentes, ad Sed. Apost appellastis: & cum tu, frater Episcope, quæ gesta fuerant, audivisses, omnes pariter ad domum accessistis eamdem, & eos, quos invenistis ibidem ad domus custodiam a Magistro relictos, ejecistis ex ea, vim vi, secundum quod omnia *l* jura permittunt, licite repellentes. Unde cum possessio prædictæ domus sub conditione tradita fuerit eidem Magistro, non extante conditione, traditio non tenebat. Præterea cum idem Magister clam domum illam intraverit, nullum vobis est præjudicium generatum, quominus eum possetis repellere, cum id ad vestram audientiam perveniret, præsertim cum verus dominus controversiam ipsi moveret, vel suspicatus fuerit, vel debuerit suspicari. Cum autem Cardd. prædicti, quæ coram eis, tam ex vestra parte, quam ex alia proposita fuerant, nobis fideliter retulissent, intelligentes prædictam domum eidem Magistro traditam fuisse sub conditione, atque nullum juri vestro præjudicium fuisse irrogatum ex eo, quod idem Magister justitiæ vestræ non inscius, vobis ignorantibus possessionem accepit, præsertim cum statim, ex quo id vobis innotuit, vim vi duxeritis repellendam, attendentes etiam, quod idem Magister sua temeritate possessionem, quam ad vos noverat pertinere, & quos quæstionem sibi moturos suspicari debuerat, est ingressus; dictum procuratorem vestrum vestro nomine ab impetitione ipsius Magistri nomine domus Militiæ Templi, quoad *m* faciendam restitutionem, de consilio f. n. reddimus absolutum, salva ei quæstione proprietatis, de qua in hoc judicio nihil est actum, sicut prædictus Abbas de Locedio nobis exposuit viva voce: decernentes nihilominus, vos Magistro ipsi satisfactionem debitam exhibere, si defendendo jus vestrum in offensam ipsius, vel domus Militiæ Templi modum forsitan excessistis.

NOTÆ.

a *Terdonensi.*) Ita etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. Terdonensis Cathedralis Ecclesia est in Liguria, suffraganea Archiepiscopi Mediolanensis, ut notavi *in c.* 2. *de sponsis*. Ejus Præsuli Odoni rescribit Innocentius *lib.* 1. in epistolis editis a Cardinale Guillelmo Sirleto, *pag.* 64.

b *Fratres Templi.*) De quibus nonnulla notavi *in c. cum desuperi* 16. *de judiciis*.

c *Locedio.*) Locedium monasterium est Ordinis Cisterciensis in Lombardia, situm in pago dicto *Locus Dei*, a quo corrupta voce dicitur Locedium. Ejus fundationem refert Philippus Seguinus *lib.* 3. *cap.* 20. his verbis: " Quippe audiens „ Tuam D. Bernardi Clarevallensis Abbatis, tantarum virtu„ tum æmulus mundum cum flore despiciens venit in Loce„ dium: ubi monasticæ vitæ indumentum suscepit, atque mul„ tis virtutibus ibidem enituit. „ Prosequitur alia de ipso monasterio Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. anno* 1123. *c.* 4. *nu.* 6.

d *Columbæ.*) Monasterium hoc ita appellatum ex columba designante locum, est in Italia inter Florentiam, & Placentiam, habens sibi subditas alias Abbatias, ut constat ex auctore historiæ Placentinæ, in illis verbis: " Abbatia mo„ nasterii Columbæ, Ordinis Cisterciensis, prope Florentio„ lam, habet sub se Abbatem Pontis Triviæ, sive de Quar„ tacola; Abbatem Fontis Frigidi in agro Parmensi. „ Refert, & alia adducit de hoc monasterio Manrique *d. tom.* 1. *anno* 1137. *c.* 5. *n.* 10.

e *Humiliati.*) Humiliatorum congregatio instituta fuit sub regula D. Benedicti a Nobilibus Mediolanensibus, qui post dirutam patriam a Federico Qenobarbo exulari fuerunt in Germaniam, & inde precibus, & humilitate regressum iterum in Mediolanum adepti fuerant: induebantur albis vestibus ex vili panno: reprobata eorum congregatio fuit *in cap. ad audientiam, de hæreticis, cap. ult. eod. tit. in* 1. *collect. cap. quo jure*, §. *dist.* eo quod omne genus jurisjurandi respuerent (si de ipsis Humiliatis ibi agitur, ut dubitat Spondanus *in continuat. Baronii, anno* 1199. *nu.* 11.) quem errorem cum postea deposuissent, restituti fuerunt a Clemente IV. Sed demum eos extinxit Pius V. ut vindicaret injuriam illatam S. Carolo Borromeo ejusdem familiæ reformatori, cum quidam ex ipsius Humiliatis aliorum persuasu in eum sclopetam duabus glandibus plumbeis onustam exoneravit, illæso interim, non sine divino miraculo, S. Cardinale, ut scribunt alia de ipsa congregatione adducentes, Joannes Justanus *in vita S. Caroli, lib.* 2. *c.* 23. Joannes Gabutius *eod. tract. lib.* 3. *cap.* 15. Chassaneus *in Catal. par.* 4. *consider.* 60. Azor. *to.* 1. *instit. lib.* 12. *c.* 21. Acunna *in c. generali* 12. *n.* 33. 54. *dist.*

f *Licentiam.*) Quia omnia Xenodochia, omnesque Basilicæ erigi debent de diœcesani consensu, *c. omnes* 16. *qu.* 7. *c. de Xenodochiis*, ubi dicemus, *de relig. dom.*

g *Militibus, qui ea tenebant in feudum.*) Fecitque ut eas transferrent in Humiliatos redemptione prævia, ut similia verba Innocentii exponit Bosquetus *in notis ad Innoc. lib.* 1. *epist.* 24.

h *Personæ.*) Sacerdos videlicet capellanus, qui jurisdictioni Episcopi parebat, *c.* 1. *de capel. monach.*

i *Investituram.*) Institutionem videlicet canonicam, non corporalem, quam præstat Archidiaconus, *c. cum satis*, ubi probavimus, *de offic. Archid.*

j *Mandatum.*) Juxta caput 2. *cap. legebatur*, ubi dixi, *de majorit. & obed.*

k *Instrumenta.*) Quid per instrumentum domus comprehendatur, exponit Consultus *in l. quæsitum* 22. *l. Seja*, §. *instrumentis domibus, ff. de instrum. legat.*

l *Omnia jura permittunt.*) *L. scientiam*, §. *qui cum aliter*, *ff. ad l. Aquil. l. ut vim* 3. *ff. de justitia & jure*: plura Emmanuel Suarez *lib.* 1. *obs. cap.* 1. Manellus *genial. c.* 10. 11. & 12. Osualdus *lib.* 1. *comment. Dond. c.* 7. *litt. G.* Vvisembach. *disp.* 4. si modo id fiat confestim, & in continenti, non si ex intervallo, *l.* 3. §. *cum igitur, ff. de vi, & vi, l. sed & partus* 12. §. 1. *ff. de eo quod metus*: nec tunc datur interdictum *unde vi*, priori dejecto, ut probavi *in c.* 8. *de ordin. cognit.*

m *Facienda restitutionem.*) Cum enim Vv. Episcopus Terdonensis, exorto in Lombardia ordine Humiliatorum prædia quædam redempta a feudatariis Ecclesiæ illis assignasset, ut hospitale, & oratorium ibi construerent, retento dominio, usu tantum concesso sub annuo censu, & certis obedientiæ conditionibus. Milites Templarii Humiliatos dejecerunt, & prædictis prædiis spoliarunt, ea conditione adjecta, ut semper Episcopi Terdonensis requireretur voluntas. Episcopus quamprimum præsensit spoliationem, accessit cum propriis Canonicis, & ejecit de prædictis possessionibus Templarios: qui cum restitutionem tamquam spoliati peterent, Innocentius III. decrevit, eos restituendos non esse, duplici ex causa. Prima, quia nunquam ipsi possessionem nacti fuerant, cum sub conditione eam apprehendissent, si Episcopus Terdonensis consentiret, quo renuente, per defectum conditionis evanuit actus: unde cum illi, qui non possederat tempore dejectionis, non competat hoc interdictum, ut late probabimus *in c. ex parte* 14. *infra hoc tit.* ideo ipsi non dicuntur spoliati, nec ut tales restituuntur. Secunda, quia cum in continenti, quamprimum præsensit Episcopus, prædia occupata esset per Templarios, illuc accederet, vimque vi repelleret, non poterat dari interdictum primo dejecto adversus dominum, quia invasorem statim dejecit, *dist. lege* §. 5. *cum igitur*: probavi *in c.* 2. *de ordin. cognit.*

Hanc spoliati restitutionem investiri, seu revestiri dixerunt Gofridus Vindoc. *lib.* 1. *epist.* 13. ad Joan. Carnot. " Roga„ mus interim, dilectissime pater, humilitate qua possumus, „ ut de his quæ Nivellus, & sui nobis violenter abstule„ runt, & adhuc crudeliter detinent, vestra eos cogente „ justitia, mereamus investiri; quia rebus propriis spolia„ ti, sicut ipsi melius nostis, antequam quæ eis ablata sunt, „ universa potestati eorum restituantur, ad judicium mini„ me debent convocari. *Soger. in vita Ludovici Crassi*: Velocitet fiquidem de Curia exeunt, qui Comitem conveniant „ extraordinarie, & spoliatum ordinarie vestri ore defenso„ ris præcipiant, de jure in Curia ejus ratiocinando, certa „ die decertent. *Ivo Carnot. epist.* 172. Unde etiam dicebat, „ prius se esse revestiendum, antequam transiret ad actio„ nem aliarum causarum. „

CAPUT XIII.

Idem a *Bituricensi Archidiacono.*

Litteras tuas nuper recepimus continentes, quod cum quædam matrimonialis causa ven. f. n. Bituricensi *b* Archiepiscopo in remotis agente, in tua præsentia tractaretur, Imberga mulier separari a C. viro suo instantissime postulabat, cui *c* quarto gradu consanguinitatis proponebat se conjunctam: apparebant etiam *d* accusatores, & testes exhibentes certam ab utroque latere consanguinitatis lineam contingentem, qui se contractui matrimonii tempore *e* absentes fuisse dicebant, & quod *f* in continenti parati erant, quæ proposuerant, comprobare; vir autem e contra uxorem sibi postulabat restitui, quæ ab eo sua temeritate diverterat, quemadmodum allegabat. Ceptis, sine diffugio, quod intendebatur, poterat demonstrare, restitutionem penitus denegandam. Ad hæc notam cultatem haberet uxoris, ejus amici timebant mortis ex hoc sibi periculum imminere, vel corporis cruciatum, ut sic ab accusatione desisterent, eam qualitercumque vivere, quam interire malentes; adjicientes nihilominus, ipsam licentiatam a viro recessisse cum lacrymis, & invitam: ipse vero miles nihilominus sibi uxorem petebat libere, ac pacifice restitui, & ne secus fieret, Sedem Apost. appellavit. Cum igitur in causis matrimonialibus exceptiones hujusmodi sæpius *g* proponantur, quid sit agendum in talibus, rescripto petebas Apostolico edoceri, ex præmissis, velut quodam themate, multas eliciens quæstiones. Primo quidem, utrum quando aliquis consanguinitatis gradus objicitur, in quo Sed. Apost. dispensare *h* non *i* potest, nec consuevit, & probationes promptæ sunt, & paratæ, an indulgenda sit restitutio, an neganda. Secundo quærebas, an idem juris existat, si aliquis gradus dispensabilis, vel aliud impedimentum dispensabile allegetur, & probationes similiter sint præsentes, utrum restitutio concedi debeat, an negari. Tertio loco quærebas, si mariti crudelitas, & sævitia nota sint judici, ut propter notam controversiam indignatus uxorem torturus sit, & injuriis affecturus, & sic accusatores de morte feminæ metuentes accusare desistant, utrum hoc in primo, vel secundo casu restitutioni præbeat adminiculum denegandæ. Postremo quærebas, si deneganda sit restitutio, & in aliquo casuum præmissorum ad Sed. Apost. appellaretur, utrum app. sit hujusmodi differendum. Sane circa solutionem propositæ quæstionis diversæ sunt sententiæ diversorum, aliis asserentibus restitutionem in præmissis casibus faciendam, aliis sententibus in contrarium, nonnullis viam mediam eligentibus, ac dicentibus eam faciendam interdum, quandoque vero penitus denegandam. Primi per decretalem epistolam bon. mem. *i* Lucii PP. præd. n. juvari videntur, argentis quosdam judices delegatos, qui restitutionem viri, qui sine judicio Ecclesiæ uxorem dimiserat, & ei consanguinitatem postmodum opponebat, spoliatæ, ac regetenti conjugem, denegabant; & mandantis prius restitui taliter spoliatam, & postea de matrimoniali causa cognosci. Horum autem assertionem incestus videtur periculum oppugnare. Sed ipsi timorem incestus inanem *k* respondent, cum etiam beneficio restitutionis obtento, qui consanguinitatis habet notitiam, nec exigere debitum, nec contra sententiam solvere teneatur; quoniam si secus egerit, ætificat ad gehennam: sicut nec consanguinitatis conscius, super con-

jugio, cujus quæstio non moveretur. Secunda vero assertio per oraculum fel. rec. *l* Clementis PP. præd. n. fulcitur, a quo cum fuisset quæsitum, utrum muliere quadam quemdam in virum petente, qui ut eam repelleret, exceptionem consanguinitatis objecit, prius esset de impedimento consanguinitatis agendum, quam super matrimonio sententia proferretur; sic inquisitioni factæ respondit, quod cum exceptione probata principalis quæstio perimatur, prius est cognoscendum de ipsa, quam ad definitionis articulum procedatur, cum & in multis casibus restitutio differatur secundum canonicas sanctiones. Opinioni autem ultimæ videtur non incongrue adaptari, ut in gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis restitutionis aditus præcludatur, sed constitutione interdictis humana restitutio locum habeat, cum effectu, cum in illis dispensari non possit, sed in illis valeat dispensari, sicut beatus *m* Gregorius, & multi alii dispensaverunt. Unde non peccat, qui in articulo hoc ad mandatum Ecclesiæ reddit debitum conjugale. Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari, quamvis præscriptum Lucii PP. mandatum ad possessorium; responsum vero Patris, & prædecessoris nostri Clementis ad petitorium referatur. Porro cum mulier illa, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina prohibuit, non possit hujusmodi viro sine mortali peccato carnaliter commisceri, quoniam omne quod non est ex fide, *n* peccatum est, & quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, frustra in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato, cum illa contra Deum non debeat in hoc judici obedire, sed potius *o* excommunicationem humiliter sustinere; sicque difficultas occurreret quasi perplexa, quia propter sententiam oporteret eam reddere debitum, & propter conscientiam debitum reddere non deberet; unde contingeret graviter impediri, & utique laqueus pararetur, cum inter se carnaliter conjungi non possent, nec alteri matrimonialiter copulari. Præterea melius nobis videtur, quod cum opponitur consanguinitas, præsertim in gradibus divina lege prohibitis, & *p* probationes offeruntur in continenti paratæ, in ceteris quidem adjudicanda sit restitutio, sed ad majorem cautelam juramento recepto, quod talis objectio malitiose non fiat: sola quoad commistionem carnalem, maxime si *q* fama consentit, est restitutio differenda, donec auditis probationibus, & discussis, causa sine diffugio terminetur; cum utrimque sit melius taliter expediri, quam manere taliter impeditos. Quod si non habeat probationes in continenti paratas, sed dilationes expectat longiores, quia præsumitur contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ, sua tantum temeritate recessit a viro, ad restitutionem plenariam Ecclesiastica debet censura compelli, quam tamen ipsa tori negando consortium debet humiliter tolerare; donec probationes offerat præparatas; & tunc absolutione petita, secundum formam Ecclesiæ absolvetur: sed antequam fiat illi mandatum, sub debito juramenti receptis probationibus procedetur, quemadmodum est præmissum. Si vero tanta sit viri *r* sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri; alioquin sufficienti, si fieri potest, securitate provisa, profecto videtur conjux ante causæ cognitionem restituenda marito.

NOTÆ.

a *Bituricensi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. c.* 3. De Ecclesia Bituric. plura adduxi *in c. fin. de majorit. & obed.*

b *Archiepiscopo.*) Gerardo videlicet, qui crucem assumpsit contra Hæreticos Albigenses, ut narrat Petrus Sarnensis monachus *in hist. Albig. c.* 83. ibi: „ Interea Simon Comes Mon„ tis Fortis castra ipso anno fortiter oppugnabat; venerant „ autem in ejus auxilium Gerardus Archiepiscopus Bituricen„ sis, & Robertus Episcopus, viri potentes, qui anno præ„ cedenti crucem assumpserant contra turbatores pacis, & fi„ dei subversores, & venerant cum eis milites eis servientes „ quamplures. „ Inde reversus Gerardus cognoscens multa miracula fieri in sepulchro Guillelmi sui prædecessoris, petiit Romam, impetraturus ab Innoc. III. ut Guillelmum in numerum Sanctorum referret, quod obtinuit, ut tradit Chenu *in chron. Presulum Bituric. anno* 1218. Unde recte ait Innocentius in præsenti, *Archiepiscopo in remotis agente*, videlicet in dicta expeditione contra Albigenses, causam matrimonialem committi Archidiacono, qui est Vicarius ordinarius Archiepiscopi, ut probavi *in c. officium, de offic. Archid.*

c *Quarto.*) Usque ad quem gradum restrictum fuit impedimentum consanguinitatis a nostro Innocentio in Conc. Later. relato *in c. non debet, de consang. & affin.* cum antea usque ad septimum protraheretur, ut dicemus *in d. cap. non debet.*

d *Accusatores.*) Parentes scilicet, qui de consanguinitate erant; alii autem non admitterentur, *c.* 1. & 2. 35. *qu.* 6. *c.* 35. *de testibus, cap.* 3. *qui matrimonium accusare*; illi enim possunt accusare matrimonium contrahendum, vel jam contractum, *c. penult. de desponf. impub. c.* 9. & 21. *de testibus*; non tamen quia aderant matrimonii accusatores, ideo statim conjuges separandi erant, donec probationes admitterentur, & constaret de consanguinitate, *c.* 2. *ut lit. pend.*

e *Absentes.*) Qui enim tempore denuntiationis a sacerdote factæ tacuit impedimentum, is postea volens accusare non auditur, nisi vel absentiam, vel ignorantiam probaverit, *c. ult. qui matrimonia.*

f *In continenti.*) Intra quod tempus tamen probari consanguinitas debeat, arbitrio judicis relinquitur, ut contingit in aliis actibus, qui in continenti fieri debent, ut resolvunt Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 2. *casu* 7. *usque ad* 25. Gentilis *de tempor. appell. cap.* 8.

g *Proponantur.*) Ut *in c.* 1. *de ordin. cognit. c.* 1. & 2. *ut lite non contest. c. causam, de offic. deleg. c. ex conquestione, cap. ex parte, hoc tit. c. porro, de divort.* & aliis juris locis infra referendis.

h *Dispensare.*) Sunt enim quidam gradus prohibiti a jure Ecclesiastico, alii vero a jure naturali, & divino. Qui tamen sint prohibiti a jure naturali divino, non liquet apud Interpretes; illud tamen certum est apud omnes, in primo gradu lineæ rectæ, videlicet inter patrem, & filiam: matrem, & filium, prohibitum esse matrimonium a jure naturali, & divino; *c. gaudemus, de divort.* post D. Thomam 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 51. *nu.* 19. Basilius *eod. tr. lib.* 2. *c.* 31. licet quoad prohibitionem juris naturalis dissentiat Germ. *lib.* 1. *animadv. c.* 16. Communis tamen sententia rationibus etiam fulcitur; nam nec maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam potest præstare matri, quam natura exigit; nec patri filia, quia matrimonium eam inducit societatem, quæ omnino reverentiam paternalem excludit; unde recte jurisconsultus Paulus *in l. adoptivum*, §. *servilem, ff. de ritu nupt.* addidit, contra pudorem esse filiam suam uxorem ducere. Nec in contrarium nos movere debent exempla Persarum, de quibus Philo Judæus de sæcularibus legibus ita ait: " Honoratiores personæ cum matribus contra„ hunt matrimonia, & natos inde arbitrantur nobilissimos.„ Arabum, & Maurorum, de quibus idem referunt Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dier. c.* 24. Tiraquel. *in lib.* 7. *connub. num.* 32. Ovidius *lib.* 10. *Metamorph.*

—— *Gentes tamen esse feruntur,*
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur, ut pietas geminato crescat amore.

Britannorum, de quibus Cæsar ita scribit *lib.* 5. *belli Gallici*. „ Uxores ducunt deni, duodenique inter se communes, & „ maxime fratres cum fratribus, parentesque cum liberis. „ Nam apud alias omnes fere nationes probrosum hoc conjugium habitum est, semperque netarius talis concubitus, imo & illum pleraque animalia abhorruere, ex Arnobio *adverf. Gentes*, & Aristot. *in hist. animal.* probant P. Gregorius *lib.* 9. *Syntag. c.* 12. Anton. *contra Machiav. de consil. pag.* 42. Grotius *de jure belli, lib.* 2. *c.* 5. *num.* 13. Dubium tamen est, an etiam in primo gradu lineæ transversalis, videlicet inter fratres, jure naturæ prohibitum sit matrimonium? Affirmant Sotus, Valenzuela, Ledesma, & alii, quos refert & sequitur Sanchez *de matr. disp.* 52. *num.* 5. Vasquez, Bonac. Ochag. & alii relati a Leandro *de matr. disp. de imped. q.* 9. Sed rectius negant cum D. Thoma 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. Basilius *de matr. lib.* 7. *c.* 32. Hurtado *eod. tr. disp.* 17. & alii apud Leandrum *d. q.* 9. Quæ sententia probatur; nam in eo gradu cessat ratio, propter quam natura irritavit matrimonium inter patrem, & filiam; cum inter fratres non repugnet æqualitas, nec unus alteri subjectionem, ac reverentiam debeat. Deinde, nam filii primorum parentum inter se matrimonium contraxerunt, & Abrahamum Saram, sororem uterinam uxorem duxisse, legitur *Exodi cap.* 20. Et *lib.* 1. *Regum cap.* 13. cum Thamar opprimeretur a fratre Ammon, dixit: " Noli facere stultitiam, po„ tius loquere ad Regem, & non negabit me tibi. „ Rursus, nam lex naturalis æqualiter urget apud omnes gentes, *l. hos*, §. *in omnibus, ff. de accusat.* sed apud nonnullas nationes conjugia fratrum admissa, & permissa fuerunt, ut de Ægyptiis D. Augustinus refert *lib.* 5. *de civit. Dei, cap.* 16. de Assyriis Lucianus *de sacrificiis*: de aliis nationibus idem referunt Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dierum genial. cap.* 24. Tiraquellus *in l.* 7. *connub. gloss.* 1. *a num.* 34. Coqueus *in not. ad locum D. Aug.* Idem etiam suadetur *ex cap. de incestis* 35. *q.* 3. & ex eo, nam Pontifex non consuevit dispensare, ut de Martino V. refert Silvester *in summa, verbo Papa, quæst.* 17. Id tamen falso traditur ab aliquibus de Emmanuele Rege Lusitaniæ, qui Mariam duxit uxorem, non sororem propriam, sed uxoris suæ, ut refert Spondanus *anno* 1496. *num.* 6. Pro hac etiam sententia expendo disertum textum *in l. si stipulor* 35. *ff. de V. O.*, ubi postquam dixit Consultus, aliquid esse impossibile a natura, aliud tantum a jure, proponit hæc exempla: A natura, ut dare id quod non extat: a jure, ut sororem ducere uxorem. Igitur sororem ducere non est probrum a natura. Unde Magni Principes cum sororibus matrimonium contraxere, ut Darius Persarum Rex, teste Justino *lib.* 2. Cajus R. Imperator, de quo Svetonius inter flagitia sui temporis refert, quod sororem uxoris loco habere voluerit: imo ipse maximus fabulosorum Deorum

Jupiter Junonem sororem sibi jugali honestate sociasse referunt Virgilius *lib.* 1. *Æneid.* ibi:

Ast ego quæ Divum incedo Regina, Jovisque
Et soror, & conjux.

Horatius *lib.* 1. *carm. od.* 3.

Conjugæ Jovis, & sororis.

Igitur licet nefaria sit talis conjunctio, juxta Tertull. *in apolog. cap.* 9. non tamen inhibita a natura; unde Innocentius accipiendus est de gradibus lineæ rectæ, non transversalis: latius exponemus *in cap.* 5. *&* 6. *de consang. & affinit.*

7 i *Non potest.*) Certum est, in gradibus lineæ rectæ Pontificem dispensare non posse, argumento textus *in c. sunt quidam* 25. *quæst.* 2. *cap. fin. de consuet.* docent supra citati, & Trullench *de matrim. cap.* 9. *dub.* 7. Petrus Gregor. *lib.* 3. *partit. cap.* 12. *per totum*, & *lib.* 1. *de rescriptis*, *cap.* 13. In quibus autem gradibus possit R. Pontifex dispensare, exponemus *in cap. finali*, *de consanguin. & affinit.*

8 j *Lucii.*) Tertii videlicet, cujus sententia extat *in cap. ex conquæstione*, *hoc titulo.*

k *Esse respondent.*) Horum quæstionem decisam reperio *in c. inquisitioni*, *de sent. excom.*

l *Clementis.*) Tertii videlicet, relati *in cap.* 1. *de ordin. cognit.*

m *B. Gregorius.*) Relatus a Gratiano *in cap. quadam* 35. *quæst.* 3.

n *Peccatum est.*) *Cap. fin. de præscript.* ubi dicemus.

o *Potius excommunicationem.*) *Cap. inquisitioni*, *de sentent. excomm.* junctis traditis a Covarr. *in* 4. *par. c.* 8. §. 2. & *lib.* 1. *var. c.* 1. Basilius *de matrim. lib.* 10. *c.* 15. *n.* 12.

p *Probationes.*) Alias si eas haberent, restitutio denegenda erat, *c.* 2. *de ordin. cognit.* ubi docuit Balboa *n.* 37.

q *Si fama consentit.*) Alias non, *c. quia circa*, *de consang. & affinit.*

r *Viri sævitia.*) Propter quam non solum restitutio denegatur, *cap.* 1. *ut lite non contest.* verum etiam divortium fit, Barbosa *lib.* 1. *voto* 9. Mariuis *lib.* 1. *resol.* 26. Valenz. *consil.* 41. dicemus lato *in tit. de divortiis.*

Celebris hæc Decretalis plura involvit, quæ ut percipiamus, ejus species ex integra supra relata repetenda est. Hemberga temere, & proprio ausu discesserat a C. marito suo, & coram Archidiacono Bituricensi, ut Vicario Archiepiscopi absentis, intendebat nullitatem matrimonii prætextu consanguinitatis: erant enim consanguinei, qui ex eodem capite matrimonium accusabant, & super gradu consanguinitatis testimonium proferebant. vir judicio possessorio tantum agebat, petens uxorem sibi ante omnia restitui, qua etsi non per vim formalem, per fictam tamen spoliatus erat. Hemberga restitutionem fieri negabat, tum propter incestus periculum, consanguinitate incontinenti probata; tum propter sævitiam viri sui, cujus erat impetuosa levitas, & crudelitas bestialis; unde tam ipsa, quam ejus consanguinei periculum mortis imminere allegabant, adjicientes, ipsam de licentia viri, imo coactam a domo discessisse. Prædictus Archidiaconus cognoscens sæpius hujusmodi exceptiones consanguinitatis, & sævitiæ in causis matrimonialibus opponi, consuluit Innocentium III. ut ita res quotidiana plenius tractaretur, & decideretur, ut ait Consultus *in leg. legavi*, *ff. de liber. leg.* Innocentius prius retulit tres sententias; primam Lucii III. relatam *in cap. ex conquæstione* 10. *hoc titul.* ubi vir de domo sua violenter ejecit uxorem, ipsa petiit restitutionem, vir opposuit exceptionem consanguinitatis, & Lucius respondit, non obstante exceptione restitutionem esse faciendam: cujus sententiæ consentiunt textus *in cap. ex transmissa* 8. *hoc tit. cap. causam*, *de offic. deleg. c. porro* 4. *de divort.* Et licet huic sententiæ opponi possit periculum incestus, si restitutio fiat, nihilominus docet Innocentius, minime incestum timeri posse, quia mulier ejecta a domo viri, & restituta, si habet notitiam impedimenti, non potest petere debitum; si non habet notitiam, petere valet, nec maritus peccat qui obedit Ecclesiæ, cujus judicio facta fuit restitutio. Secundam sententiam deducit Innocentius *ex c.* 1. *de ordin. cognit.* ubi docetur, differri matrimonii quæstionem, quousque agatur de gradu cognationis, videlicet muliere agente petitio judicio, & marito opponente cognationem, quæ opositio præjudicialis est, cognoscitur de viribus exceptionis, quia agebatur petitorio judicio, non possessorio, ut ibi notavi. Tertiam tandem affert sententiam distinguentium modo supra relato. His suppositis Innocentius non reprobata ulla ex supra traditis sententiis definit, mulierem a viro discedentem frustra restitui marito spoliato, quia nullatenus matrimonio uti potest, & per consequens in hac parte non posse judicio obedire, sed potius teneri humiliter pati excommunicationis sententiam in ipsam prolatam, ut deciditur *in cap. Inquisitioni*, *de sentent. excomm.* ut sic evitetur inter conjuges perplexitas, & diffidium: unde deducit Innocentius, admittendam esse exceptionem consanguinitatis, modo probatio breviter, & incontinenti offeratur; non vero si longiorem, & altiorem indaginem petat, indigeatque examine litis ordinariæ; tunc enim non admittitur, ut jam docetur *in c. accedens* 3. *ut lite non contestata*. Concludit denique quoad secundam exceptionem de sævitia viri, quod si tanta esset ut nec sub cautione viro committi possit, non esse ei uxorem restituendam cum manifesto vitæ periculo. Hujus decretalis expositionem latius prosequuntur Balboa, Garanna, & alii Primarii nostri *in c.* 2. *de ordine cognitionum.*

9 Species propositur, & exponitur.

CAPUT XIV.

Idem a *Vulterano Episcopo.*

EX parte M. *b* mulieris fuit propositum coram nobis, quod cum eam adhuc infra *c* pubertatis tempora constitutam quidam *d* patruus suus filio H. Senensis civis nondum *e* septem annorum voluerit in matrimonio copulare, ac eadem traducta fuerit in *f* domum civis ejusdem, ipsa ex quo ad nubiles annos pervenit, ratum nolens habere postulavit. Cumque partes idem Episcopus citasset & præfata M. per procuratorem idoneum in judicio compareret, quærens possessiones & res alias sibi *b* restitui dotis nomine pro se datas; & pars altera restitutionem peteret mulieris ejusdem, asserens eam non posse per alium causam *i* agere, sed debere ipsius tractatui personaliter interesse: prætatus Episcopus dubitans, quid super his statuere posset de jure, prout nobis suis litteris intimavit, processui negotii superseditit. Quia igitur non credimus ambigendum, quin ipsa mulier (quamvis minor esse dicatur) & causam nis est *j* commodo destituta, cum per solam traductionem prædictam, quam non præcesserunt sponsalia, vel consensus legitimus, nec fuerit etiam subsecutus, nullum inter eos obligatorium vinculum sit contractum, ut finis litibus imponatur, s. t. per A. s. m. quæ, si est ita, non obstantibus exceptionibus supradictis, partibus convocatis, audias, quæ hinc inde duxerint *k* proponenda, & quod canonicum fuerit, ap. rem. decernas.

NOTÆ.

a *Vulteran.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub. hoc tit. c.* 4. De Ecclesia Vulterana, & ejus Prælatis nonnulla notavi *in c.* 1. *de mutuis petit.*

b *Mulieris.*) Recte ita appellatur, inspecto tempore, in quo consultus fuit Innoc. III. nam feminæ ante 12. annos proprie appellantur Virgines, postmodum mulieres; hinc Laertius *lib.* 1. censebat filias nuptui collocari oportere ætate virgines, sed prudentia mulieres. Paulus *in l. mulieris* 13. *ff. de V. S.* ait: *Mulieris appellatione etiam virgo viri potens continetur*, idest quæ excessit 12. annum, ut exponunt ibi Fornerius, & Gentilis, Forcatulus *in Neciom. dial.* 23. *n.* 4. Tertul. *de veland. virginib. c.* 10. ibi: " Ex quo se intelligere cœperit, & ceasum naturæ " suæ intrare, & de virgineis exire, & pati novum illud, " quod alterius ætatis est: ex illo enim virgo definit, ex quo " potest non esse. *Alfonsus noster in l.* 6. *tit.* 33. *partit.* 7. E " por esta palabra muger, que se entiende tambien la virgen, que ha de doze annos arriba, como todas las otras. " Illustrat Narbona *de ætate*, *anno* 12. *q.* 1.

c *Pubertatis.*) Duodecimus videlicet, quæ ætas juxta Proculejanos est legitima pubertas in feminis; *leg. final. Cod. quando tutores*, *princip. Instit. quibus modis tut.*, & *de pupillari substit. leg. qua ætate* 5. *ff. qui testamenta facere.* Quare tamen feminæ citius pubescant quam viri, late examinant Narbona *anno* 12. *q.* 1. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 4. *nu.* 12. Carranza *de partu*, *cap.* 10. *n.* 4. Salmut. *ad Paucir. lib.* 1. *tit.* 93. Paul. Zacchias *lib.* 1. *quæst. medico legal. quæst.* 6. Merillus *lib.* 2. *observ. cap.* 22. & *lib.* 2. *cap.* 29. Richierius *in l.* 4. *Cod. qui testamenta*, *num.* 4. P. Gregorius *lib.* 2. *syntagm. cap.* 7. Fornerius *lib.* 2. *rerum quotid. c.* 26. Samuel Petitus *ad jus Atticum*, *fol.* 157. & nos latius proponemus *in cap.* 2. *de desponf. impub.*

d *Patruus ejus.*) Idest tamquam propinquus, vel ejus tutor, in sponsalibus, seu nuptiis debebat consensum præstare, *l.* 1. §. *in conjunctione*, *C. de nuptiis*, Brissonius *de jure connub. cap. ultim.* Si tutor ejus erat, necessario debebat nuptui collocare cum extranea persona, non autem poterat sponsalibus tradere filio proprio, ex Senatusconsulto, quo cautum fuit, ut qui tutor, curatorve pupillam adultam intra 26. annum daxit, filiove suo junxit, infamia notaretur, & dotem restituat, *leg. non est* 66. *ff. de ritu nuptiar. l. si tutor* 7. *C. de interdict. matr. leg.* 4. *C. de excus. tut.* Ubi ratio traditur, quoniam iitis artibus tutelæ administratæ rationes conturbarentur, & fraudes malæ administrationis tegerentur; quæ etiam traditur *in l. liberum* 64. *l. non solum* 67. §. 2. *ff. de ritu nupt.* Fr. Hothomanus *de ritu nup. c.* 3. ad quam juris prohibitionem spectant textus *in leg. pupillam* 7. *ff. ad leg. Jul. de adult. l. filium* 28. §. *si quis*, *ff. de liberis & posthum. leg. titter* 15. *ff. de sponf. l.* 4. & 7. *Cod. de excusat. tut. leg. ult. ff. de legatis* 1. *leg. neque ei* 17. *l. nunquam* 32. §. *ultim. ff. de adopt. leg.* 2. §. *per contrarium*, *ff. de his*, *quæ ut indign. l. unic. Cod. unde vir & uxor*, *leg. uxor*, *l. uxori* 27. *ff. de usufruct. legat. l. si connubiam* 17. *ff. rerum amot.*

amot. l. 4. & 6. *Cod. de incestis nupt. cum l. ult. Cod. de interdict. matrim.*

4 e *Septem annorum.*) Ante quam ætatem nec dantur, nec contrahi possunt sponsalia, *l. in sponsalibus* 7. *ff. de ritu nupt.* ibi: *Si non sint minores quam septem annorum*. Brisson. *de ritu nupt. in princ.* late dicemus *in cap. invenis*, *de sponsal.*

5 f *In domum ejus.*) Inter alios nuptiarum ritus ab Hebræis, Gentilibus, & Christianis in earum celebritate, & solemnitate receptos, præcipuus fuit traductio uxoris in domum viri; a quo more manavit, quod vulgo dicimus, uxoremducere; siquidem cum dicimus ducere uxorem, præcise loquimur, siquidem deest, *domum*; plene ac perfecte sic enuntiatur, *Uxorem domum ducere*. Terentius in Hecyra: *Nunquam se illa viva uxorem ducturum domum*; & alias, *Ut ad paucos redeam, uxorem deducit domum*. De hac deductione apud Hebræos usitata extant vestigia *lib.* 2. *Regum*, *c.* 11. *vers.* 27. " Misit Da" vid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei " uxor. *Et Judic. cap.* 12. *vers.* 9. Quas emittens foras, dedit " maritis, & ejusdem nameri filiis suis accepit uxores, in" troducens in domum suam. *Et Genesis c.* 24. *vers.* 67. Intro" duxit Rebeccam in tabernaculum Saræ matris suæ, & ac" cepit eam uxorem. *Sic Sponsus Canticor.* 3. *vers.* 4. *ait*: Intro" ducam illam in domum matris meæ, & in cubiculum ge" nitricis meæ. " Illustrant Pinto in *Cantica c.* 8. *n.* 297. Menochius *de Repub. Hebræor. lib.* 3. *c.* 21. *n.* 10. Etiam Gentiles deductione in mariti domum, tamquam in matrimonii larem utebantur, *l.* 5. *C. de ritu nupt. l.* 5. §. *mulieris*, *de usu*, & *habit.* in qua significatione accipitur deductio uxoris *in leg.* 1. *Cod. Theodos. de revoc. don. l.* 1. *eod. C. de secund. nupt.* Hujusmodi deductionis in domum mariti extant diversa testimonia in jure Cæsareo *in l. si uxor* 13. §. *si minor*, *ff. ad leg. Jul. de adult. leg. quæsitum* 9. *ff. de sponsal. l.* 2. *in fine*, *ff. de privil. credit. l. hac conditio*, *l. cum fuerit* 13. *ff. de condit. & demonstr. leg. dotis* 68. *leg. cum posit* 69. §. *in domum*, *ff. de jure dot. leg. mulierem* 5. *ff. de ritu nup. l. cum hic status* 32. §. *si qui sponsam*, *l. penult. ff. de donat. inter*, *l.* 2. *ff. de his quæ ut indign. l. si ut certo* 5. §. *interdum* 10. §. *commodati*, *l. quæsitum* 17. *in fine*, *ff. de rebus auctorit. judic.* observarunt Brissonius *lib.* 1. *select. c.* 18. Fornerius *lib.* 3. *rerum quot. cap.* 29. Gothofredus *in d. l. cum fuerit*, *ff. de condit. & demonstr.* Savarus *ad Sidon. lib.* 1. *epist.* 5. Brissonius *lib.* 1. *select. cap.* 18. & *in formulis pag.* 226. Roa *lib.* 2. *singul. cap.* 21. doctissimus Ramirez de Prado *in Pent. cap.* 14. Fiebat hæc deductio uxoris in domum viri præcipue vespere. Catullus *in carm. nupt.* ibi:

Vesper adest, juvenes consurgite: Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas;
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Virgo versa in gyrum exiens de limine patris.

Et ne unde prodiret, quoque redeundum sciret, ut exponit Tiraq. *l.* 1. *connub. gloss.* 2. *part.* 1. axis currus, quo traducebatur, exurebatur apud Brothos, ut sic reditus in domum patris videretur prælusus. Plutarch. *in problem. c.* 28. Briss. *de form. fol.* 231. Et tres pueri in nuptiis adhibebantur, duo ut nubentem deducerent, alter ut facem præferret ex spina alba, vel pinea, ut probant Brissonius, Roa, & Ramirez *ubi supra*, de qua solemnitate ducendi uxorem cum lampadibus accipiunt ipsi parabolam Virginum apud Matthæum *c.* 25. ibi: " Acci" pientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ; " & ecce sponsus venit, exite obviam ei. *Ita enim accipiunt* " *illud Lucæ c.* 12. Luceræ ardentes in manibus vestris, & " vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quan" do revertatur a nuptiis. " Et illud Job *c.* 3. *vers.* 6. ubi maledicens noctem, in qua conceptus, & diem in qua natus fuerat, ita imprecatur: " Noctem illam tenebrosus horror " possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur " in mensibus; sit nox illa solitaria, nec laude digna. " Quæ ultima verba accipit eruditus Ramiresius ita, ut precaretur Job, noctem illam sine laude esse, idest sine nuptiis, & earum solemnitate. Apud Christianos etiam hanc solemnem traductionem invaluisse, constat *ex c. alter* 30. *quæst.* 5. ubi dum recensentur ab Evaristo legitimi matrimonii solemnitates, hæc verba adjiciuntur: *Ac solemniter accipiatur*. Et *cap. prius* 42. 27. *qu.* 2. *c. nec uxorem* 33. *qu.* 4. ubi legendum est, *neque uxorem traducere*, ut jam notavit Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 7. *num.* 17. *c. ad nuptiarum* 43. *de consecrat. dist.* 1. & ex traditis *in c. capellanus*, *de feriis.*

6 Hac deductio non est substantialis.

Non tamen necessaria præcise est hæc solemnis traductio in domum viri, ut aliqui voluerunt, ad contrahendum legitimum matrimonium; quia nuptias consensus facit, *l. nuptias*, *ff. de R. J. l. cum fuerit*, *de condit. & demonst. l. donationum* 22. *C. de nup.* quod expresse suadetur *ex l. Seja*, *penult. ff. de donat. inter*, ubi cum Seja certo die Sempronio nuptura esset, antequam in domum deduceretur, donavit centum aureos, & cum de viribus donationis dubitaretur, respondit Scævola, deductionem in mariti domum non esse attendendam: notavit Gentilis *lib.* 4. *de donat. inter*, *c.* 1. Unde exponendus venit textus *in l. denique* 6. *ff. de ritu nupt.* ubi Ulpianus ait: " Denique Cinna scribit: " Eum, qui absentem accepit uxorem, deinde rediens a cœna " in Tiberim periisset, ab uxore lugendum, responsum est. " Pro cujus interpretatione duo præmittenda sunt juris principia. Primum, mulierem non teneri maritum lugere, nisi perfectum esset matrimonium, *l.* 1. *leg. genero* 8. *l. uxores* 9. *l. solet* 10. *l. liberorum* 11. *ff. de his qui notant. infam.* Cujacius *lib.* 5. *Pauli ad edict. in dict. l. genero*, & *lib.* 6. *observ. cap.* 32. Gutherus *de jure matrim. lib.* 3. *cap.* 18. Sophranis *in David*, 4. *par. c.* 4. Arnifeus *de jure connub. c.* 3. *sect.* 12. Secundum, in nuptiis olim apud virum cœnari; in sponsalibus vero parentes puellæ sponso convivium præbere solere, ut probant Brisson. *de ritu nupt. pag.* 93. *in parvis*, Roa *d. lib.* 2. *c.* 21. Robertus *lib.* 2. *rer. judic. c.* 2. Quibus suppositis apparet vera sententia ipsius textus; cum enim licet femina absens solemniter nubere non possit; vir autem absens uxorem ducere valeret, Paulus *lib.* 2. *sentent. titul.* 19. *in fine*, quia absente viro, per ejus amicum in domum duci poterat; mulier autem absens duci in domum viri non possit, *l. mulierem* 5. *ff. eod. tit.* & in eo textu per amicum mariti uxor deducta fuisset in domum viri, vir rediens a cœna facta in domo propria, si decedat, lugeri debet, quia matrimonium jam perfectum erat. In matrimonio autem per usum celebrato necessaria erat traductio uxoris in domum viri, quia in ea, accedente usucapione matrimonium confiitebat.

7 Exponitur l. pen. ff. de don. inter.

Nec tantum deductio, seu traductio in domum viri constituit matrimonium, ut in præsenti supponitur, verum neque sponsalia, *l. quæsitum* 12. *ff. de sponsal.* in illis verbis: *Hoc ipso, quod in domum deducta esset, non videri sponsalia facta*. Et matrimonium non inducere, constat *ex l. cum hic status* 32. §. *penult. ff. de donat. inter*, *l. dotis* 69. *ff. de jur. dot.* ibi: " Nam & si " minor annis duodecim deducta fit, tunc primum peretur, " cum major annis apud eumdem esse cœperit. " Pro qua sententia expendo textum *in l. pen.* §. *fin. de don. inter*: ubi respondet Scævola, virgini in hortos deductæ ante diem tertium quam ibi nuptiæ fierent, cum in separata dieta ab eo esset, die nuptiarum priusquam ad eum transiret, & prius quam aqua & igni acciperetur, idest nuptiæ celebrarentur, obtulit decem aureos dono. Quæritum est post nuptias contractas divortio facto, an summa donata repeti possit? Respondit, id quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse de dote deduci. Cujus responsi ratio provenit ex tradito principio, videlicet, traductionem in domum per se non constituere verum matrimonium. Sed subsistamus parumper in ipsius textus expositione. Et primo difficilis videtur in eo, quare potius ad hortos, quam in alium locum deductam fuisse sponsam proponatur? Et aliqui existimarunt, in hortos deduci, quia ibidem nuptiæ celebrabantur, quia Venus, quæ in nuptiis præerat, testibus Homero, & Pausania relatis a Gothofredo, *ibi litt. A*, eadem credebatur esse hortorum Dea. Varro *de lingua Latina lib.* 5. Alii rectius existimarunt, ideo virginem deductam in hortos fuisse, quia veteres sæpe in hortis habitationem habebant, *l. lex Cornelia*, §. *domum*, *ff. de injuriis*, ibi: " Quid si quis in villa habitaret, vel in hortis. *Suetonius* in Claudio, *c.* 5. Tunc demum abjecta spe dignitatis, " ad otium concessit modo in hortis, & suburbano, modo " in Campaniæ secessu delitescens. *Asconius* in Miloniana, *de* " *Pompejo*: Plerumque non domi suæ, sed in hortis mane" bat. " Et hujusmodi ædificia in hortis posita voluptaria erant, & amœnitatis gratia extructa: in quæ Romani sedebant, *l. penult.* §. 1. *ff. de penu legat. leg. Senatus* 43. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l. uxorem*, §. 1. *ff. de legat.* 3. observat Brissonius *lib.* 1. *select. cap.* 13. Secundo inhæreamus in illis verbis, *in diem tertium*. Et sciendum est, tres dies in nuptiis celebrandis rituales fuisse. In primo sponsus visitabat sponsam apud ejus patrem; quare hic dies dicebatur desponsalia, capiebaturque auspicium a turture, & cornice. Die secundo sponsus pernoctabat apud socerum, non tamen cum sponsa, sed in alia dieta. Tertia vero die nuptiæ celebrabantur, deducta uxore solemniter in domum viri. De hoc triduo accipiunt illud B. Joannis *cap.* 2. *Et die tertia nuptiæ factæ sunt*. Ant. Hothomanus *de ritu nupt. cap.* 14. Gothofredus *in rubric. Cod. de desponf.* Tandem notandum est, quod Consultus *in dict.* §. *Virgini*, expendit ad probandum nuptias secutas non fuisse, illa verba: *Prius quam aqua*, & *igni acciperetur* (sic enim legendum est, ut habetur in Florentinis; non *aqua*, & *ignis acciperetur*, ut vulgo legitur.) Quibus probatur, aqaam, ignemque nuptiarum solemnibus adhiberi consuevisse, quem morem adstruunt Servius *ad illud Virg.* 4. *Æneid.*

Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther
Conjugii:

Ubi refert illa Varronis verba: " Aqua, & igni mariti uxo" res accipiebant, unde & hodie faces prælucent; & petita " de puro fonte per puerum felicissime, vel puellam, quæ " interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lavari. " *Festus Pompejus* verbo Aqua, *ibi*: Aqua, & igni interdici " solet damnatis, quæ accipiunt novæ nuptæ, sive ut pura, " castaque ad virum veniret, sive ut ignem, & aquam cum " viro communicaret. *Hujus ritus rationem expresserunt Varro.* " lib. 4. de lingua Latina: *ibi*: Igitur, *ait*: causa nascendi " duplex, aqua, & ignis; ideo ea in nuptiis in limine adhibebantur. " Quod conjunxit Ovidius *lib.* 4. *Fast.* ubi de aqua, & igne agens, ita scribit:

An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exul;
Hic nova sit conjux, hæc duo magna putant.

Alias prosequuntur rationes Brissonius *de ritu nuptiar. pag.* 91. *in parvis*. P. Gregorius *lib.* 9. *syntag. capit.* 5. *nu.* 4. Alex. ab Alex. *lib.* 2. *dier. genial. cap.* 5. ubi plura Tiraquellus. Covarr. *in* 4. *p. c.* 1. *num.* 1. Robertus *lib.* 1. *rer. judic. cap.* 17. Hothomanus *de ritu nupt. c.* 18. Ex quibus omnibus deducit Consultus *in d.* §. *virgini*, sequutas non fuisse nuptias, etsi virgo in hortos deducta esset; quia deductio per se non inducit sponsalia, seu matrimonium, ut in præsenti docetur ab Innocentio: alia adducit pro ipsius illustratione D. Anton. de Chaves & Contreras *in repetit. ipsius textus.*

8 g *Senensi Episcopo*.) Bonifacio videlicet, qui erat judex ordinarius sponsi a patruo destinati; nam cum intenditur nullitas matrimonii a muliere, causa decidenda est a judice mariti, qui habetur pro reo; & mulier licentiam nubendi alii debet petere a judice mariti, ut post Abbatem *in præsenti*, docet Tondutus *resol. canonic. c.* 120.

9 h *Sibi restitui*.) Quia ubi non est matrimonium, nec dos; & in dotis constitutione inest tacite conditio, si nuptiæ sequantur, *c. & si necesse* 5. ubi plura dabimus, *de donat. inter.* Cognoscit autem in præsenti judex Ecclesiasticus de causa dotis, quia incidens erat in causa principali, matrimonii videlicet, ut contingit *in cap. de prudentia, de donat. inter, c.* 1. *qui filii sint legit.* notavi jam *in c. tuam* 3. *de ordin. cognit.*

10 i *Causam agere*.) Certum est, puberem etiam minorem 25. annis, posse causam matrimonialem absque alicujus curatoris auctoritate in judicio pertractare, idque in quacumque causa spirituali, seu ab ea dependenti statuitur *in c. fin. de judic. in 6.* docent Covarr. & alii congesti a Barb. in eo textu: & in his casibus limitatur regula textuum *in l. universi, C. qui tutores, l. clarum, C. de auctorit. præstand.* Cujus limitationis ratio ultra adductas a Monacho, & Geminiano, *ibi, n.* 4. Cino *in l.* 1. *C. qui legitimam*, ea redditur, quia spiritualia ex juris dispositione pro meritis cujusque conferuntur certam ætatem habentibus; unde non convenit eum, qui post pubertatem admittitur ad matrimonium, & alia spiritualia obtinenda, judicari minus idoneum ad eadem spiritualia in judicio pertractanda: quodam enim modo injuria irrogaretur spiritualibus, si per legem ipsa administranda ei committerentur, quem lex ipsa propter intellectus imbecillitatem ab eis in judicio agitandis removet; & major ad comparendum in judicio, quam ad obtinenda, & administranda ipsa spiritualia idoneitas desideraretur; ideoque cum puber in matrimonio, quemadmodum in aliis spiritualibus, possit per se absque curatore in judicio experiri, utique poterit in ejusdem causis per procuratorem a se constitutum absque curatore litigare, ex regula *Potest quis, de regulis jur. in* 6. & expresse cavetur *in d. cap. final. de judic.* ubi Gomezius *n.* 25. faciunt textus *in l.* 3. §. *ult. qui per tut. l. sed & etsi* 17. §. *penult. ff. de injur. l. servum* 33. *in princ. ff. de procurat.* Quare recte ait in præsenti Innocentius, non esse ambigendum, quin mulier possit, quamvis minor, causam matrimonialem in judicio tractare; etenim adversarius fatebatur, eam per se agere posse, negabat tamen per alium posse in judicio comparere; ideoque ait Innocentius, non esse ambigendum, quod per alium posset in judicio adesse; si quidem ex confessione adversarii per se poterat, an tamen minor post contractum matrimonium liberetur a potestate curatoris, & ut minor restituatur, examinant Vela *dissertat.* 1. & 2. D. Joseph de Retes *lib.* 7. *opusc. c.* 4. *a n.* 47.

j *Juris, seu possessionis*.) Hæc verba exposui *in cap.* 1. *de ordin. cognit.*

k *Duxerit proponenda*.) Quoad judicium proprietatis videlicet, & valorem sponsaliorum, restitutionemque dotis; nam quoad possessionem jam denegata restitutio erat ab Innocentio nostro. 11

CAPUT XV.

a Idem.

Olim inter te pro Abbatia tua, & ven. f. n. O. *b* Parisiens. Episcop. nomine Parisien. Ecclesiæ super possessione juris *c* parochialis in parochia de Monte, quæstione suborta, &c. *Et infra*: Nos attendentes, quod ex eo solo, quod populus dictæ parochiæ timore *d* ipsius sententiæ per aliquot dies abstinuit a divinis, nullam in eos juris parochialis possessionem idem Episcopus fuerit assecutus, nec fuit aliquo modo probatum, quod eo tempore, quo sententiam ipse protulit, possessionem in ipsos jure parochiali haberet, vel prius etiam habuisset: restitutionem de jure adjudicare nequivimus, cum non constiterit, ipsum spoliatum fuisse.

NOTÆ.

1 a *Idem*.) Ita etiam legitur in 2. collectione, *sub hoc tit. c.* 2. non tamen exprimitur, cui missa sit hæc decisio; facile tamen deducitur ex ejus serie, missam esse Abbati S. Genovefæ, diœcesis Parisiensis, de quo, & ejus jurisdictione, atque privilegiis nonnulla adduxi *in c. cum olim* 32. *cap. P. & G. de offic. deleg. c. dilecti, de foro compet.*

2 b *O. Parisien. Episc.*) Odonem videlicet de Soliaco, cujus nobilissimum genus ita describit P. Blesensis *epist.* 126. (Hic ex Cantore sub fratre suo Henrico Bituricensi Archiepiscopo factus Episcopus Parisiensis fuit, consanguineus Henrici Regis Angliæ, indeque Francorum Regem linea generis propinquiore contigit.) Ejus vitam, virtutemque satis prædicat epitaphium ejus sepulchro ære sculptum in hunc modum:

Quem cathedra decoravit honor, quem sanguis avitus,
Quem morum gravitas, hic jacet Odo situs.
Præsulis hujus erat (quod habent hæc tempora raro.)
Mens syncera, manus munda, pudica caro.
Lenibus hic lenis, toga nudis, victus egenis;
Vita fuit juvenis clara, probata senis.
Bis sexcenteno Christi, quartoque bis anno,
Tredecimo Julii transiit Odo die.

3 c *Juris parochialis*.) Intendebat enim Parisiensis Antistes jus parochiale habere in Ecclesia S. Stephani de Monte, quia licet Canonici regulares diœcesanæ legi non subessent, parochiæ tamen Rectores administrationi sacramentorum præpositos sibi parere debere intendebat, juxta textus *in c. quod super, de majorit. & obed. c. ex ore, de privil. c.* 1. *de statu monach. c.* 1. *de capel. monach.* allegabatque se dejectum fuisse a possessione, vel quasi jurisdictionis, quam unico actu acquisierat, excommunicationem in parochianos proferendo, quam verentes, timentesque, se a Sacramentis Ecclesiæ abstinuerunt: unde quia intentionem suam in prædicto jure Parochiali, *ex c. omnes basilicæ*, 16. *q.* 7. probabat; & quia a possessione spoliatus reperiebatur, ideo interdicto recuperandæ intendebat se ante omnia esse restituendum. Verum Innocentius III. agnoscens ex illo actu quæsitam non fuisse possessionem, & ideo Episcopum spoliatum dici non posse, interdicto recuperandæ locum non esse decrevit; sed cum super proprietate disceptaretur, lis transactione facta inter prædictum Odonem, & Abbatem S. Genovefæ decisa fuit in hunc modum. (Super querelis, quas dictus Episcopus movebat de jure parochiali, in parochia de Monte; & procurationibus, quas in parochialibus Ecclesiis Canonicorum de Monte petebat; & contra Canonici de Monte adversus Episcopum super Capella S. Genovefæ sita in civitate Parisiensi, dictæ partes finaliter ita composuerunt, scilicet quod Episcopus habebit omne jus Episcopale, seu parochiale in tota parochia de Monte; & Presbyter, qui illi parochiæ spiritualia ministrabit, ab eo curam recipiet animarum, & parochianos ipsius parochiæ ad mandatum Episcopi, vel Archidiaconi, citabit, vocabit, ligabit, pariter & solvet, chrisma, & oleum ad opus parochiæ ab Ecclesia Parisiensi recipiet, ad Synodum etiam veniet, nec tamen circatam, vel synodaticum reddet. Item licebit Episcopo, & Archidiacono in singulos de prædicta parochia, & omnes interdicti, & excommunicationis ferre sententiam, &c. Ab hac autem generalitate exceptæ erunt, & ab omni jurisdictione Episcopi, & Archidiaconi viginti personæ inter servitores, & garciones, infra ambitum Canonicorum habitantes, comedentes, cubantes, & levantes, &c. In prædicta autem parochia de Monte neque Episcopo sine consensu Canonicorum, neque Canonicis sine Episcopo novam Ecclesiam, seu capellam ædificare licebit, &c. Prædicti quoque Canonici S. Genovefæ capellam S. Genovefæ sitam in civitate Parisiensi dederunt Episcopo, & successoribus ejus in perpetuum, liberam, & quietam, nullo sibi in ea jure retento: præbendam quoque, & vicariam, quas prædicti Canonici Ecclesiæ B. Mariæ Parisien. habebant, prædicto Episcopo, & ejus successoribus quietaverunt, nihil omnino sibi juris in prædicta præbenda, seu vicaria reservantes.) Refert Chopinus *l.* 2. *de sacra pol. tit.* 7. *num.* 9. Quid tamen virtute juris parochialis habeat Episcopus in Ecclesiis diœcesanis, jam exposui *in c. conquerente, de offic. Ordin.*

d *Ipsius sententiæ*.) Asserebat enim O. Episcopus, quod cum per unum actum proportionatum ad acquisitionem juris incorporalis quasi possessio acquiratur, ut in electionibus contingit, ubi unica, & ultima electio sufficit, ut eligens manuteneatur, ut probavi *in c. querelam, de elect. c. cum in Ecclesia, verbo Trium, de causa possess.* & ad acquirendum jus parochiale nullus actus idonejor intervenire possit, quam sententiæ prolatio, cui adversarii tamquam subditi paruerant absque ulla protestatione, acquisivit quasi possessionem, qua spoliatus juxta supra tradita restituendus erat: sed Innocentius insuper habito ipso actu sententiæ prolatæ, decrevit interdictum recuperandæ possessionis locum non habere, quia possessionem nec antea obtinebat, neque per illum actum acquisivit. Cujus decisionis rationes varias tradunt antiquiores in præsenti congesti a Fermosino *q.* 1. Sed illorum sententiis omissis, ut veram assignemus, sciendum est, quod licet communiter receptum sit, ad acquisitionem quasi possessionis juris incorporalis unum actum sufficere palam, & bona fide habitum, qui non fuisset controversus, nec liti causam dedisset, Covarr. *in pract. c.* 14. *n.* 2. & *in regula Possessor,* 2. *part. in princip. nu.* 6. Barbosa *in c. consultationibus, de offic. deleg.* Posthius *de manut. observat.* 32. *n.* 16. Noguerol. *alleg.* 28. *n.* 137. Gratianus *discept. forens. c.* 310. *n.* 76. Id tamen procedit, quando actus frequenter exerceri non poterant, sed raro, ut contingit in electionibus, ubi nisi beneficium vacet, conferri non potest; si vero frequenter exerceri possunt, plures actus continuati desiderantur ad acquirendam possessionem juris incorporalis; unde cum Episcopus Parisiensis, ut acquireret possessionem juris parochialis, posset plures actus in diœcesanos exercere pro diversitate legis diœcesanæ, & jurisdictionalis, ideo per unum actum non acquisivit dictam quasi possessionem. Accedit, nam hujusmodi actus debent exerceri sciente, & non contradicente adversario; at vero Episcopus Parisiensis inscio, & ignorante legitimo contradictore; videlicet Abbate S. Genovefæ, sententiam protulit; nec parochiani sententiæ parendo potuerunt juri cœnobiarchæ præjudi- 4

judi-

judicare, ut probavi *in c. cum tempore, de arbitris*; ideo cum nullo modo actus ille sufficiens esset ad acquirendam possessionem, nec jam eam Episcopus acquisitam habuisset, ideo dici non poterat spoliatus jure, quod numquam obtinuit, & per consequens restitutio nec illi competebat.

COMMENTARIUM.

5 *Conclusio probatur.* Ex his duabus decretalibus ita conclusio deduci potest: *Interdictum unde vi tantum competit possessori, & ut restitutio concedatur, necessaria est possessio.* Probant eam textus *in c.* 1. *&* 2. 23. *q.* 7. *cap. consultationibus, de offic. deleg. c. causam quæ, de præscript. cap. ex transmissa, hoc tit. cap. ad decimas, eod. tit. in* 6. *l.* 1. *in princip. &* §. *dejicitur, l. si vi, l. interdicto, ff. de vi & vi, l.* 1. *Cod. unde vi*, §. *recuperandæ, Instit. de interdict.* Paulus *lib.* 1. *sentent. tit.* 6. Illustrant ultra congestos, in præsenti a Barbosa, & Fermosino Fachineus *lib.* 8. *controvers. c.* 8. *&* 9. Donell. *lib.* 15. *comment. cap.* 31. Alciatus *lib.* 2. *parerg. cap.* 34. Duarenus *lib.* 1. *disput. cap.* 20. *& ad tit. ff. de vi, & vi.* Menochius *de recup. remed.* 1. Gomez *in l.* 45. *Tauri, a num.* 180. Cujacius *lib.* 5. *obs. c.* 20. *& lib.* 6. *cap.* 4. *& in notis ad Paulum, d. tit.* 6. Pichardus *in d.* §. *recuperandæ*, P. Barbosa *in l. si de vi, num.* 38. *ff. de judic.* Tuschus *litt. S, conclus.* 330. Valenzuela *consil.* 71. *ex num.* 14. Altesserra *in præsenti.*

6 *Impugnatur hæc assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam nihil in jure certius constat, quam incorporalia, ut sunt jura, & servitutes, non possideri, *l. servitutes* 14. *ff. de servit. l.* 3. *ff. de acquir. possess.* Sed pro juribus incorporalibus recuperandis, veluti pro jure eligendi, seu percipiendi decimas, competit hoc interdictum, *cap. cum Ecclesia, cum sequent. de causa possess. c. ad decimas, hoc titul. in* 6. cum aliis pluribus. Ergo non est necessaria possessio, ut hoc interdictum competat, & restitutio locum habeat. Accedit, nam sæpius in jure legimus, pro rebus, quæ possideri non possunt, competere interdictum hoc; nam uxor res sibi a marito donatas juste possidere nequit, *l.* 3. *ff. pro donato, l.* 1. §. *si vir uxori*, ubi probavit Valentia *tom.* 1. *illustr. ff. de acquir. possess.* & tamen constat, ipsam his rebus spoliatam restitui, *l.* 1. §. *dejicitur, ff. de vi, & vi*, in illis verbis: *Denique si maritus uxori donavit, eaque dejecta sit, poterit interdicto uti.* Similiter servus possidere, cum ab alio possidetur, non potest, *leg. is qui pro emptore* 15. *ff. de usucap. leg. denique, ff. ex quibus caus. major.* tamen nomine domini potest petere restitutionem rei, qua spoliatus reperitur, *l.* 1. *C. si per vim.* Igitur quia possessio non desideratur, ut competat interdictum recuperandæ, vel ut restitutio concedatur. Facit etiam ab specie textus *in capit. litteras, hoc titul.* ubi cum nullum esset matrimonium propter impedimentum consanguinitatis, & sic nulla causa possidendi daretur, competit restitutio: igitur in præsenti capite *ex parte*, competere etiam debebat interdictum recuperandæ. Secundo difficilis etiam est ipsius textus decisio: nam per traductionem in domum viri, cohabitatione subsecuta, sponsalia invalida ratificantur, & valere incipiunt, *capite litteras*, ubi Glossa 3. *capit. de illis, de despons. impub. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. sed in dicto capite *ex parte*, post traductionem in domum sponsi secuta fuit cohabitatio usque ad annos nubiles: igitur concedi debebat restitutio sponso, cum ratione sponsaliorum acquisita esset possessio. Tertio difficilis etiam est ipsa decretalis in illis verbis: *Nullo juris, seu possessionis commodo destituta.* In quibus innuitur, præcedentibus sponsalibus, & secuta in domum deductione, locum esse restitutioni, & competere interdictum recuperandæ; nam ut marito spoliato uxor restituatur, non sufficit matrimonium, vel sponsalia fuisse celebrata; sed desideratur, quod per copulam matrimonium consummatum sit, *cap. litteras, hoc tit.* ibi: *Desponsata fuisset, & ab eo cognita.* Igitur etsi in dicto capite *ex parte*, præcessissent sponsalia, & traductio in domum sequeretur, restitutio non erat concedenda, cum copula non intercessisset.

7 *Traditur ratio decidendi.* His difficultatibus minime obstantibus vera est præsens assertio deducta ex his duabus Innocentii decretalibus, quarum posterioris rationem adduxi in ejus textus notis, prioris autem ratio redditur ab ipso Innocentio, in illis verbis: *Quum non præcesserint sponsalia, vel consensus legitimus, nec etiam fuerunt subsecuta.* Ubi cum restitutio dari non possit, ubi nulla præcessit spoliatio, *cap.* 2. *hoc tit. leg.* 1. §. *interdictum*, juxta verba edicti Prætoris, ibi: *Quæque ille tunc ibi habuit, ff. de vi, & vi*; & in præsenti specie nulla possessio sponso acquisita esset, siquidem nec sponsalia, nec matrimonium præcesserunt: & sola deductio in domum matrimonium non inducat, ut supra probavi, recte affirmat Innocentius, restitutionem non competere, quia nullo possessionis commodo maritus dejectus erat. Accedit, nam dejectio, seu spoliatio supponit aliquod jus per talem dejectionem amissum, ex vulgari regula, quæ habet, privationem supponere habitum, *leg. manumissionis, ff. de justitia, & jure, c. ad dissolvendum, de despons. impub.* unde cum nulla possessio adest, non potest considerari vera dejectio, siquidem in dominio admitti, vel dari dejectio non potest, *leg. si quis*, §. *differentia, leg. Pomponius, ff. de acquir. possess.* Quare juxta utriusque juris regulas recte decrevit Innocentius, in his duabus decretalibus restitutionem, seu interdictum recuperandæ non competere illis, qui a possessione dejecti non fuerunt.

8 *Dissolvitur prima difficultas.* Nec obstat difficultas prima supra adducta; nam verum est, pro juribus incorporalibus non competere interdictum recuperandæ possessionis, ut docetur *in leg. sequitur* 4. §. *si viam, ff. de usucap.* quam late exponit D. Joseph de Retes *ad legem Scribonianam, numero* 23. *&* 24. in illis enim juribus incorporalibus, quæcumque intrusio, vel denegatio non pertinet ad vim expulsivam, sed perturbativam; neque est propria dejectio, sed perturbatio quasi possessionis, *leg. vim facit* 11. *ff. de vi, & vi*; pro qua non datur interdictum *unde vi*, sed interdictum *retinendæ uti possidetis*, ut docet pluribus relatis Osualdus *ad Donell. dict. lib.* 15. *capit.* 31. *litter. H.* sed quia in his rebus incorporalibus, & juribus datur quasi possessio, & ejus respectu quædam impropria dejectio consideratur, ideo interdictum hoc *unde vi*, ita spoliatis accommodatur, argumento legis *Aquilius* 27. *ff. de donat.* docent Menochius *de recuper. remed.* 1. *ex numer.* 81. Tusch. *littera P, conclus.* 447. & *conclus.* 388. P. Barbosa *in dict. leg. si de vi, numero* 133. quorum sententia in praxi receptissima est. Nec obstat augmentum deductum *ex dict. l.* 1. §. *dejicitur*: pro cujus solutione plura adduxerunt Gomez *in l.* 45. *Tauri, a numero* 23. *&* 29. Menochius *de adipisc. remed.* 6. *numer.* 4. Tuscus *tom.* 6. *littera P, conclus.* 425. Garcia *de benef. part.* 11. *capit.* 3. *a num.* 324. Sed illis omissis dicendum est, quod licet uxor rem a marito donatam non possideat civiliter, & juste; tamen possidet naturaliter, & injuste, *l. quod uxori* 16. *ff. de acquir. possess. l. si eam* 27. *l. si donata* 36. *l. inter* 47. *ff. de donat. inter, l.* 1. *in fin. ff. de donat. l. si id quod* 5. *ff. pro derelict. l. nec ullam* 13. §. 1. *ff. de except. rei judic.* Cannanus *lib.* 3. *comment. capit.* 10. Vaconius *lib.* 2. *declarat. capit.* 33. Donellus *lib.* 5. *comment. cap.* 4. Duarenus, & Cujacius *in dict. l.* 1. §. *si vir*, Valentia *tom.* 2. *illustr. tract.* 1. *capit.* 6. Quæ possessio, licet injusta, sufficit ut locum habeat interdictum *unde vi*, ut probavi *in capit. in litteris hoc titul.* unde in specie dicti §. *dejicitur*, competit uxori interdictum recuperandæ: docent Duarenus, & Cujacius *in dict.* §. *si vir*, Menchaca *de success. creat.* §. 15. *numero* 72. Nec obstat textus *in dict. l.* 1. *Cod. si per vim*; quoniam respondetur, in ejus specie servum petere restitutionem non suo nomine, sed ex persona domini absentis, qui possidebat; idque ex nova illa constitutione, quam explicat Menochius *de recuper. remed.* 6. Nec etiam obstat textus *in dict. cap. litteras, hoc tit.* quia respondetur, ideo in specie illius textus concessam fuisse restitutionem, quia possessio juris præcessit, licet non justa; & ita licet alias probato gradu consanguinitatis improbata, & injusta redderetur, interim dum de injustitia non constat, restitutio spoliato conceditur, *dict. capit. in litteris, hoc tit.* Nec secunda difficultas adversatur, cui variis modis satisfacere intendunt Abbas, Butrius, Cardinalis *in præsenti*, Covarr. *de sponsalib.* 1. *part. capit.* 2. cum quibus dicendum est, nulla in præsenti capite ex parte sponsalia a patruo, vel nepte cum infante contracta fuisse; licet enim patruus neptem voluerit nuptiis, seu sponsalibus collocare, & ideo ipsam in domum infantis traduxisset; nihilominus ejusmodi patrui voluntas non pervenit ad effectum sponsaliorum, ut constat ex illis verbis: *Voluerit copulare*; & ibi: *A patruo circa hoc fuerat procuratum.* Unde cum nulla præcessissent sponsalia, non erat quod per transcursum temporis, & diutinam cohabitationem convalesceret. Et si adhuc instes, admissa hac sententia, ad quid neptis petiit ab Episcopo licentiam nubendi, quæ necessaria non erat, si nulla omnino sponsalia, vel matrimonium præcesserant, nec mulier poterat impediri alii nubere ex parte pueri, quem tamen Episcopus citare fecit, & admisit in judicio? Respondeo ex mente Abbatis hic *numero* 9. licentiam fuisse petitam; ne aliter, licet non de jure, de facto tamen impediretur neptis volens alii nubere sub eo prætextu, quod sponsalia præcesserant, & postea per traductionem in domum, & cohabitationem ratificata fuissent; & ad sedanda hujusmodi dubia, de quibus fortassis rumor invaluerat, neptis licentiam nubendi postulavit, narratis omnibus, quæ præcesserant; & sic eo citato, cujus interesse dabatur, ex narratione mulielis licentia nubendi concederetur, & possessiones dotis futuræ nomine datæ restituerentur; & non tamen inde inferas, quod in hac specie præcessissent sponsalia, & si traductio sequeretur, ex cohabitatione daretur matrimonium præsumptum, juxta textus *in l. mulierem, ff. de ritu nuptiar. l. cum fueris* 15. *ff. de condict. & demonstr. l. sancimus, C. de nuptiis*; quia contrarium verum est, & defendunt Covarr. *de spons.* 1. *part. capit.* 4. §. 2. *numero* 1. Duarenus *in prælud. ad titul. ff. solut. matr. & de nuptiis capit.* 2. Nam hanc præsumptionem jus nostrum non admisit, nec recte a contrario sensu argumento deducto, id docent Joann. Andreas *hic*, Abbas *nu.* 25. & alii relati a Covar. Nam argumentum a contrario sensu deductum, non admittitur cum sequitur absurdum; & si recte etiam a contrario sensu expendatur præsens decisio, tantum deducitur, præcedentibus sponsalibus, & secuta deductione in domum, jus obligatorium induci, non tamen dari verum matrimonium.

9 *Dissolvitur tertia difficultas.* Nec refragatur tertia difficultas deducta *ex dict. c. ex transmissa, hoc tit.* pro cujus solutione examinandum venit: qualis debeat esse possessio, quæ desideratur in terminis hujus textus, & *in capit. ex parte*, ut restitutio possit competere; an scilicet sufficiat nuda possessio, an insuper titulus requiratur? In qua quidem quæstione affirmativa sententia, quæ docet sufficere nudam possessionem absque titulo, probatur ex verbis ipsius textus, quæ disjunctive concipiuntur: ibi: *Utpote nullo juris, seu possessionis commodo destituta*; ubi videtur Pontifex desiderare jus, vel possessionem. Faciunt alia juris principia in commentario primo hujus tituli expensa, ubi ad concedendam restitutionem probavi sufficere solam possessionem abs-

abs-

absque titulo; & sic idem videbatur dicendum in possessione, de qua in hoc textu. Contrarium tamen verum est, nempe, quod ultra possessionem matrimonium, vel sponsalia præcessisse desideretur; probatur *ex dict. capit. ex transmissa*, ibi: *Legitime desponsata, & ab eo cognita.* Ex quo textu communiter receptum est, quod conjux spoliata non aliter restituitur, quam si ultra possessionem titulum, id est præcedens matrimonium ostendat. Expendi etiam possunt pro ea sententia illa verba hujus textus: *Quam non præcesserunt sponsalia, vel consensus legitimus, nec fuerunt subsecuta.* Ubi innuit Innocentius, restitutionem denegari, quia titulus non præcessit. Qua opinione retenta, non obstat disjunctiva illa, *seu*, hujus textus, nam debet accipi pro conjunctiva, argumento legis *sæpe, de V. S.* quasi dicat Innocent. III. nullo jure quasi possessionis, idest nullo jure, & sic nec possessionis commodo destituta. Nec etiam refragantur juris utriusque principia, quibus docetur, ad restitutionem tantum possessionem exigi. Nam licet in aliis rebus sufficiat sola possessio, non tamen in matrimonio, & sponsalibus. Ratio hujus specialitatis in eo consistit, nam in aliis rebus potest dari possessio absque titulo, & sic potest quis sola possessione privari, & ratione illius spoliationis restitui: at vero in matrimonio carnali non potest dari possessio liberi hominis, qui natura sua possideri non potest absque titulo præcedentis matrimonii, juxta legem *cum heredes* 23. *§. ultim. ff. de acquirend. possess.* sicut nec liber homo vindicari potest, nisi adjecta causa, *l. 1. §. per hanc, ff. de rei vindic.* ac subinde merito conjux restitutionem petens necessario possessionem probare debebat, *capit. consuluit, de offic. deleg.* & matrimonium ostendere cogitur, sine quo inspecta natura sua, possessio non datur.

10 Exponitur text. in l. colon. 12. l. cui fundus 18. de vi, & vi. Sed supra traditis opponuntur textus *in l. colonus* 12. *l. cui fundus* 18. *ff. de vi, & vi*, ubi docetur, colonis interdictum *unde vi*, competere; sed coloni, & conductores non possident suo nomine, sed tantum nomine Domini rem detinent, *l. non solum* 33. *§. 1. ff. de usucap. l. 1. Cod. communia, de usucap.* ergo illis, qui non possident, competit hoc interdictum. Nec difficultatem solvet qui dixerit, naturalem possessionem sufficere ad hoc interdictum, & eam habere colonum; nam colono expresse denegatur hoc interdictum *in l. 1. §. dejicitur, l. ultim. ff. de vi, & vi*, Paulus *lib. 5. sent. tit. 6.* Ut aliqui difficultati satisfaciant, affirmant, discrimen esse constituendum inter colonum vectigalem, & emphyteuticarium: colono vectigali hoc interdictum negant, concedunt vero emphyteuticario. Refert David Argente *de interdicto vi, pag.* 18. Sed hac solutione omissa, verius dicendum est cum Accursio *in dictis legibus*, Cujacio *lib. 26. qq. Papin. in dict. l. cum fundum*, Donello *lib. 15. comment. capit.* 31. Pacio *cent. 7. ad titul. de vi, & vi*, colonum in dictis juribus interdicto *unde vi*, uti; quia possidebat, & nudum tantum colonum esse negabat; quia cum emptorem fundi, quem dominus in possessionem mittebat, expulisset, dominum dejecisse videtur, & consequenter cœpit possidere nomine proprio: unde tamquam violento possessori competit hoc interdictum adversus eum, qui ipsum dejecit, ut *in d. l. 1. §. qui a me 30. ff. de vi, & vi, c. in litteris, hoc tit.* docent P. Gregorius *lib. 36. sintag. c. 25. n. 17.* Menoch. *de recuper. remed. 1. quæst. 11.* at vero aliis colonis hoc interdictum non competit, imo illis dejectis domino datur, *d. l. final. ff. de vi, & vi*, quia ejus nomine possident. Nec inde inferas: Ergo melioris conditionis est injustus colonus, quam justus. Nam respondeo, non recte inferri id, sed potius consequentiam ita deduci debere: Ergo melioris conditionis est qui possidet, quamvis injuste, quam ille qui non possidet: docent Covar. *l. 1. var. c. 17. n. 6.* Menoch. *d. remed. 1. ex n. 62.*

11 Exponitur l. 3. §. in id 13. ff. de vi & vi. Deinde adversatur textus *in leg. 3. §. in id 13. cum seq. ff. de vi, & vi*, ubi usufructuario dejecto competit interdictum *unde vi*, cum ipse dominus non sit, *leg. falsus 43. in fine, ff. de furtis, l. recte 25. in princ. ff. de V. S.* nec rem ipsam, in qua usumfructum habet, possidet, *l. acquiruntur, 10. §. fin. ff. de acquir. rer. dom.* nec jus ipsum utendi fruendi possidet, quia ususfructus res est incorporalis, & incorporalia non possidentur, *l. 4. in princ. ff. de acquir. possess. l. 4. §. qui viam 27. ff. de usucap.* Ergo illis, qui rem non possident, competit hoc interdictum. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, fructuario competere interdictum *unde vi*, quia rem corporaliter tenet, *l. possess. 49. ff. de acq. possess.* & cum affectu dominii: qua de causa dominus dicitur *in l. venditione 8. ff. de rebus auctor. judic.* inde usumfructum partem dominii esse docuit Jurisconsultus *in l. 4. ff. de usufruct.* Amplius quia ad usufructuarium rei emolumentum spectat: docent Cujacius *l. 5. observ. c. 33.* Donellus *d. l. 15. c. 31.* ubi Osualdus *litt. D.* Gomez *in l. 45. Tauri, nu. 191.* Fermosinus *in c. litteris, q. 1. hoc tit.*

C A P U T XVI.

Idem *Archiepiscopo* a *Mediolanensi*, *&* *Præposito Canoniæ Petron. PP.*

CUm ad Sedem Apost. accessissent olim A. ven. f. n. Cum. *b* Episcopi, & frater G. dil. fil. fratrum Hospital. *c* Hierosolym. procuratores, & instrumenta nobis, & acta causæ, quæ super Ecclesia, & Hospitali de Monte Ciparo inter eos agitabatur, prout gesta fuerant in præsentia ven. f. n. *d* Papien. Episcopi, qui ex delegatione nostra de causa cognoverat, præsentassent, nos diligenter inspectis quæ coram eodem Episcopo acta fuerant, haberi ea decrevimus pro infectis, cum constiterit nobis, eum in causa ipsa judicem non fuisse, sicut ipsemet ad ultimum recognovit, eandem causam dil. f. Abbati de Arron. de assensu partium taliter committentes, ut audiret omnia, tam ad *e* possessorium, quam ad petitorium judicium pertinentia, quæ utraque pars duceret proponenda; & causam ipsam fine debito terminaret, coram quo post procurator Hospitalis Hierosolym. Ecclesiam, & Hospitale prædicta cum *f* possessionibus, & pertinentiis suis, quæ dictus Cumanus Episcopus injuste tenebat, sibi restitui postulabat, asserens supradicta omnia de jure ad Hosp. Hierosol. spectare, ac ea diutius possedisse, ad hoc respondit procurator Episcopi, se nescire, nec credere supradicta unquam ab Hospitali Hierosol. possessa, vel ad illud aliquatenus pertinere, quæ Cumanus Episcopus, utpote in sua diœc. *g* constituta, rationabiliter detinebat. Cum ergo ad fundandam intentionem suam testes pars utraque produxerit, dictus Abbas deinde utriusque partis attestationibus, rationibus, & instrumentis inspectis, procuratorem Episcopi condemnavit ad restitutionem omnium prædictorum. *Et infra*: Nuper autem utriusque partis procuratoribus propter hoc comparentibus coram nobis, prioris actis judicii nobis fideliter præsentatis, causam ipsam interdum per nos, quandoque per dil. fil. n. tit. S. Marcelli, & tit. S. Anastasiæ Presbyteros Card. examinavimus diligenter: & quidem per testes videbatur esse probatum, quod Gratus Cum. Episcopi nuncius Cruces Hospitalariis olim abstulit, inhibendo ipsis, ne ad supradictam Ecclesiam, vel hospitale redirent, & quod Episcopus supradicta omnia possidebat; unde procurator Hospitalariorum petiit supradictam restitutionis sententiam auctoritate Apostolica confirmari: ex adverso proponebatur, quod etsi per testes esset forsan sufficienter ostensum, quod per nuncium Episcopi fuerint Hospitalarii spoliati; cum tamen non constiterit, quod de mandato ejus hoc fecerit, vel quod Episcopus ratum habuerit factum ipsius, restitutio sibi locum non potuit vindicare: quamquam constaret, Episcopum prædicta tenere, qui utique ipsa de jure possidet, utpote ad se spectantia, & in sua diœcesi constituta. Sed ad hoc pars altera replicavit, quod quamvis per dicta testium evidenter mandatum Episcopi, vel ratihabitio non probetur, quia tamen judex motum animi potuit ex aliis causis *h* informare, pro sententia erat merito *i* præsumendum. His igitur, & aliis intellectis, quæ utriusque partis procuratores proponere procuraverunt, & nos prioris acta judicii, quæ nobis fuerant, sicut præmissum est, plene, ac fideliter præsentata, diligentius recensentes, quia nec per dicta *k* testium, vel confessionem partium, cum nullæ penitus in judicio factæ fuerint, vel etiam instrumenta, quæ nullatenus de spoliatione tractabant, nec etiam per evidentiam facti nobis constare potuit, quod Cumanus Episcopus supradictos Hospitalarios spoliaverit, vel mandaverit spoliari, vel spoliationem saltem ratam habuerit, de consilio f. n. pronunciavimus in quæstione prædicta interdictum unde vi locum nullatenus habuisse, restitutionis sententiam a prædicto Abbate latam justitia exigente, cassantes.

N O T Æ.

1 a MEdiolan.) Ita legitur in 3. collectione, *sub hoc tit. c. 5.* ex quo ejus integram ita restituo. De Ecclesia Mediolan. aliqua notavi *in c. cum adeo, de rescrip.*

b *Cum. Episcopi.*) De Ecclesia Cumana plura adduxi *in c. Cumana, de elect.*

c *Hospital. Hierosolym.*) Ita dicta est celebris in toto orbe terrarum religio D. Joannis, quæ initium habuit anno 1099. sub Paschali II. Hierosolymis, ubi Gerardus Hospitale sub S. Joannis Baptistæ nomine construxit ad peregrinos illic ducendos, & hospitandos, infirmisque opem, medicamina, victuique necessaria præstanda, atque Hospites a Turcarum molestiis, & incursionibus defendendos, a quo, & ejus successoribus alia hospitalia erecta fuerunt per Siciliam, Italiam, & Hispaniam: quare illi Milites frequenter appellantur Hospitalarii, aliquando milites B. Joannis, aliquando Rhodani, eo quod insulam Rhodum vi armorum a Turcis eripuerunt die xx. Augusti anno 1308. Nonnumquam dicuntur Melitenses, quia ejecti a Rhodo in insulam Melitæ dono

no Imperatoris Caroli V. migrarunt. Plura de eorum regula, & Magistris tradunt laudati ab Acunna *in cap. generali 12. n. 85. dist. 54.* D. Rochus Pyrro *t. 3. Sicilia, in Ecclesia Melitensi, anno 1524.* Mendo *de Ordin. Milit. lib. 1. q. 5. per tot.*

d *Papien. Episc.*) Rodovaldi videlicet, qui interfuit Conc. Lateran. sub Innocentio III. celebrato.

e *Possessorium, quam ad petitorium.*) Alias si tantum ad petitorium judex daretur, vel e contra, de altero judicio cognoscere non posset, ut probavi *in c. 2. de causa possess.*

f *Possessionibus, & pertinentiis.*) Libellus hic in generalibus admittitur in præsenti judicio, quia universalem, non particularem continebat petitionem, ut jam notavi *in c. 2. nu. 6. de libelli oblat.*

g *Constituta.*) Erga Xenodochia, & Hospitalia propriæ Diœcesis habet Episcopus fundatam jurisdictionem, *c. omnes 16. q. 1. c. de Xenodochiis, de relig. domib.*

h *Informare.*) Immerito tamen, si juxta conscientiam privatam, contra allegata, & probata sententiam protulit; ut late probant Covar. *l. 1. variar. cap. 1. per totum*, ubi plura Uselius, & Farias.

i *Præsumendum.*) Quod principium indistincte verum est in sententiis, quæ in rem judicatam transierunt: præsumitur enim ratione subnixas esse, jurique, & æquitati conformes, *cap. bona 23. §. 4. & 5. nam agitur, de electione, c. in præsentia 6. de renuntiat. cap. post cessionem 7.* ubi Glossa 1. in fine, *de probat. cap. sicut 16. de re judic.* quin imo in ceteris definitivis sententiis idem præsumitur, quamdiu contrarium non probatur: sed in istis probatio in contrarium admittitur: non vero in illis, quia jus faciunt, quo modo accipiendi sunt textus *in cap. cum inter 13. in fine, de re judic. cap. quoniam 11. in fine de probat.* & præsens decisio: & docent late pluribus relatis Menochius *de præsumpt. præsumpt. 67. ex num. 36.* Mysinger. *in d. cap. quoniam, nu. 119.* Pichardus *in manuduct. 2. p. in prælud. §. 4. num. 3.* dicemus *in c. 13. de re judic.* 2

k *Per dicta testium.*) Possessio enim probatur instrumentis, testibus, seu adversarii confessione, ut fuse prosequuntur Posthius *de manut. observ. 19. usque ad 28.* Mindanus *de interd. 1. p. comment. 26.* Rodrig. *l. 1. de annuis reddit. c. 15. num. 5.* Barbosa *voto 41. per totum.*

C A P U T XVII.

Idem *in Concilio Generali* a *Lateran.*

SÆpe contingit, quod spoliatus, per spoliatorem injuste in alium re translata, dum adversus possessorem non subvenitur per restitutionis beneficium spoliato, commodo possessionis amisso propter *b* difficultatem probationum, juris proprietatis amittit effectum. Unde non obstante juris civilis rigore sancimus, ut si quis de cetero rem talem scienter receperit, cum spoliatori quasi succedat in *c* vitium, eo quod non multum intersit quoad periculum animæ detinere injuste, ac invadere alienum, contra possessorem hujusmodi spoliato per *d* restitutionis beneficium succurratur.

N O T Æ.

1 a LAteran.) *c. 39.* Ita etiam habetur in 4. collectione *sub hoc tit. c. 3.* & apud Ant. August. *in epit. jur. lib. 30. tit. 2.* De hoc Concilio Later. aliqua notavi *in c. 1. de summ. Trinit.*

b *Difficultatem probationum.*) Difficilis enim est dominii probatio, unde inter commoda possessionis communiter recensetur translatio oneris probandi in adversarium, *l. interesse 63. ff. de judic. l. 1. §. 3. ff. uti possidetis, l. causas 4. C. de edendo, l. sancimus, C. de judic. §. retinendæ, institut. de interdictis, novell. 53. Justiniani, c. 4.* ubi Gothofr. *litter. O.*

2 c *Succedat in vitium.*) Faciunt pro hac præsumptione textus *in l. lata 223. ff. de V. S. l. Octavius 9. §. 1. ff. unde cognati, l. regula 9. §. sed facti, l. nec supinis 6. ff. de juris, & facti ignor. l. sed si pupillus 11. §. præscribere, ff. de institut. action. c. innotuit 20.* ubi Glossa *verbo ignorantia, de elect.* Illustrant Petrus Barbosa *in l. si quis 8. §. sed hæc n. 19. Cod. de præscript. 30.* Menochius *de recuper. remed. 16. num. 33.* Velascus *consult. 95. n. 15.* Doctissimus Præceptor D. Franc. Ramos *in memor. ad Alexand. VII. propos. ult. §. 5. n. 185.*

d *Restitutionis beneficium.*) Ex interdicto videlicet, *unde vi*: quare spoliator etiam fructus restituit, ut post Cujacium hic docet Illustrissimus Ramos *ubi supra, n. 189.*

COMMENTARIUM.

3 Contra quos detur interdictum unde vi. IN his duabus Decretalibus agitur de personis, contra quas competebat interdictum *unde vi*; & utroque jure constat, dari adversus spoliantem, & eum qui jussit, aut ratam habuit spoliationem, *l. 1. §. ait Prætor, ff. de vi & vi, leg. hoc jure 152. §. dejecit, ff. de R. J. d. cap. cum ad Sedem.* Item adversus eum, qui facile approbavit dejectionem per suos factam, utendo re ipsa: quo modo exposui textum *in capit. 1. hoc titul.* & si per servum vis illata est, nec dominus ratam habeat dejectionem, non tenetur nisi in id, quod in ejus bonis est occasione dejectionis, & dedere servum noxæ, *l. 1. §. quia igitur 15. ff. de vi, & vi.* Paulus *lib. 5. sententiar. titul. 6. §. 2. & 3.* Quoad tertium possessorem, quia ex se, & ex terminis mere personale est hoc interdictum; utpote pœnale, neque contra heredes competit, ut probat Gomez *in leg. 45. Tauri, num. 286.* Donellus *in l. 2. C. unde vi, num. 4.* Osualdus *ad Donell. lib. 15. capit. 31. litt. Z.* aliquando tamen contra heredes datur, videlicet cum aliquid ad eos pervenit ex dolo, vel violentia defuncti, *l. 2. Cod. unde vi, l. 1. §. ultim. l. 2. l. 3. §. ultim. ff. de vi, & vi*, Paulus *lib. 5. sentent. titul. 15. §. 6.* Menochius *de recuperand. remed. 1. numer. 157.* Gomez *ubi supra, numer. 185.* Et tunc non datur actio in factum in eos tamquam heredes, sed quia possident aliquid ex re, cujus possessionem per violentiam nacti fuerint: quare ille heres solum tenebitur, qui possidet, non alius; nec obligatio dividitur pro portione hereditaria, *leg. si plures 9. ff. de vi, & vi*, Valentia *tom. 2. illustr. tract. de dividuis, cap. 6. num. 28.* licet quoad perceptionem fructuum ex re mala fide possessa par fortuna sit heredis, ac defuncti, *l. 2. C. de fructib. & litium, l. cum heres 11. ff. de diversis, & tempor. leg. 1. §. ultim. l. 3. §. 1. l. si plures 9. ff. de vi, & vi.* Similiter & quoad præscriptionem longi temporis, *leg. vitia 11. C. de acquirend. possess.* facit textus *in capit. cito 16. q. 1.* Illustrant D. Ramos *ubi supra, num. 188.*

4 De successore particulari. Quoad successores particulares Bartolus, & alii antiquiores *in l. cum a te, leg de vi, & vi*, discrimen constituerunt inter successores particulares ex titulo oneroso, & successores ex titulo lucrativo. Adversus primos competere interdictum affirmant; secus vero adversus secundos. Sed omissa distinctione, quæ nullo Juris fulcro munitur, dicendum est, indistincte contra particularem successorem non dari hoc interdictum, qui titulo emptionis, vel simili rem possideat, neque ex ipsa dejectione rem detinet, ut contingit in herede, qui nulla alia ratione eam possidet, quam ex dejectione a defuncto facta: unde in casu legis 4. *§. si tu me vi, ff. de usucap.* immediate ex dejectione, qui occupavit rem vacuam, interdicto *unde vi*, tenentur, ut docent Cujacius *in hoc cap. sæpe*, Menochius *dict. remed. 1. n. 160.* David Argente *de interdicto unde vi, fol. 28.* Sed licet hæc admittat Cujacius *in præsenti*, Gnttierez *lib. 1. canonic. c. 34. n. 52.* Valenzuela *cons. 71.* de jure civili; jure tamen canonico docent contra tertium possessorem competere interdictum unde vi, *ex cap. quia, vers. de judiciis, c. 1. de alienat. judic.* aut saltem remedium canonis *redintegranda 3. q. 1.* Itaque ante Innocentium nostrum in præsenti jam contra tertium particularem successorem remedium hoc competebat. Sed verius est, usque ad præsentem Innocentii constitutionem, nec jure canonico contra tertium possessorem remedium hoc dari, ut defendunt Cironius *ad hunc tit.* & alii relati ab Osualdo *d. c. 31.* Menochius *remed. 16. per tot.* Unde per præsentem decretalem corrigitur jus civile, ut Innocentius expresse fatetur, & docuit Fachineus *lib. 8. controv. c. 12.* Nec pro contraria sententia faciunt textus *in d. c. quia, c. 1. de alienat. judic.* quorum interpretationem adduxi *in cap. significavit, de rescript.* Nec etiam facit textus *in d. can. redintegranda*; nam Symmachus in eo canone, cujus aliæ partes reperiuntur *in c. 1. c. nullus 5. 2. q. 2. c. prius 6. 3. q. 2.* nihil novi induxit quoad interdictum *unde vi*; sed tantum confirmavit quod statutum erat a prædecessoribus, videlicet spoliatum Episcopum omnino esse restituendum, antequam accusaretur in Concilio, quod fere eisdem verbis constituitur *in cap. 2.* & fere per totum, *3. q. 1. c. ult. 96. dist. c. cum. Ecclesia 2. 3. quæst. 2.* ab Athanasio ad Felicem II. his verbis: " Cum Ecclesiæ ,, alicujus Episcopi, aut possessiones, vel res ab æmulis ,, ejus, vel a quibuscumque aliis non ita sponte detinentur, ,, aliquid illi non debet, aut potest a quoquam ante redintegrationem omnium rerum suarum objici. ,, Sed prius illis legibus redintegranda sunt omnia, & postea tempore a Patribus definito, sunt negotia ventilanda. Unde ut jam notarunt Osualdus *ubi supra*, Menochius *remed. 15. ex numer. 64.* Cujacius *in præsenti*, nihil novi statuitur *in dict. can. redintegranda*, & immerito communiter recipitur pro remedio speciali spoliatis competente, cum ante præsentem Innocentii III. decisionem nec jure civili, nec canonico daretur interdictum contra singularem successorem, licet post hanc saluberrimam constitutionem contra tertium possessorem competat hoc interdictum: quæ decisio in utroque foro recepta est, ut testatur D. Joannes Solorzanus *de Jure Indiar. tom. 2. lib. 2. c. 28. num. 98.* qui alia congerit pro hujus remedii illustratione.

CAPUT